Digitized by Google

XII.10.33.
O.4.

Digitized by Google

ERROR POPVLARIS
Seu
FABVLA IOANNAE
QVÆ PONTIFICIS ROMANI SEDEM OCCVPASSE FALSO CREDITA EST.

Interprete

IOANNE CAROLO FLORIMONDO Roemundi Senatoris Burdigalenſis FILIO.

Adiectus eſt Tractatus

DE EADEM IOANNA, MOGVNTIACA

Ex Annalibus Moguntinis

R. P. NICOLAI SERARII Soc: IESV *deſumptus.*

PERMISSV SVPERIORVM



COLONIAE

Apud Petrum Henningium, ſub ſigno Cuniculi M. DC. XIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. FRANCISCO IOYOSAEO ARCHIEPISCOPO Toloſano S. R. E. Cardinali.

IOANNES CAROLVS Raemundus Florimondi filius S. P. D.

SApienter primi illi ſcientiarum principes & duces ſe geſſerunt, Cardinalis illuſtriſſime, cum patrio & natali ſolo relicto in exteras terrarum oras excurſiones fecerunt, & peregrina lingua ſcriptos, quos inde aſportarunt libros, literis aut Græcis aut Latinis mandarunt. Ea præclare adinuenta ratione factum eſt, vt quæ in priuata aliqua ſola prouincia ſcriptorum ſuppellex ampliſſima deliteſcebat, ſummo literatorũ omniũ bono, vniuerſo orbi ſpectanda proponeretur. Viguit olim vehemens hoc inter Grecos accenſum ſtudium, vt qui ſapientiores haberẽtur, in Aegyptum excurrerent, & quam ab Aegyptijs Sacerdotibus accepiſſent doctrinæ ſegetem, Græca lingua, quæ latè dominabatur, non tantũ palam explicarent, ſed literarum monumentis cõſecrarent.

Floruit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Floruit quoque fœlix ea inter Latinos æmulatio, vt in Atticam Prouinciam, & in vniuerſum pene terrarum orbem nauigationes inſtituerent; & multiplicem, quam inde tum doctrinæ tum hiſtoriæ varietatem Romam aſportaſſent, ſtylo Romano exornarent.

Deferbuit tamen hac noſtra ætate ille ardor: & paucos Gallico, Hiſpanico, Germanico, alioue peregrino idiomate primùm exaratos libros antiqua illa ciuitate ac lingua Romana tandem donatos habemus. Pręclara interea eaq; multa à varijs auctoribus priuato ac domeſtico ſermone peritè ſcripta opera anguſtis vnius tantum regni finibus concluduntur: quæ ſi Latinè palam expreſſa legerentur, toto orbe ſummo tùm rei literariæ tum Chriſtianæ incremento volitarent.

Ea vna ſapienter inſtituta cogitatio patrem meum mihi literatiſq; omnibus chariſſimum compulit, vt quem de Ioannæ, quæ falſo pótifex credita eſt, fabula, librum Gallica eaq; eleganti oratione compoſuit, Latine exprimendum curarit. Idem de Antichriſti libro omnium Gallorum acclamatione & applauſu excepto cogitabat, niſi tria ab inſtituto impedimenta eum retardaſſent; Imprimis libri, quæ late excreſcit, moles; poſtea forenſium negotiorum, quibus totus implicatur, multitudo: denique ea, quam de hęreſibus poſtremis late texit, & proſequitur, tãdiu ab eruditis omnibus deſiderata hiſtoria. Egi tamen cum illo quibuſcunque precibus

potui, vt hunc, quem rudiori Minerua Latia delineandum curarat librum, prælo & omnium conſpectui ſubijci permitteret. Aegrè tandem impetraui, vt ab Antichriſti libro tãquam ab altero Germano & gemino, tibique olim (niſi procelloſa præteritorum temporũ iniuria nobiliſſimam familiam tuam, ſicuti & reliquas totius Galliæ vehementius exercuiſſet, huicque voto mente concepto impedimentum attuliſſet) conſecrato diuelleretur. Vtrumque enim tanquam duplici agmine omni ex parte munito & ſepto, ad hæreticorum caſtra diſſipanda, ſimul in aciẽ prodire deſiderabat. Interea dum alter vt Latinus fiat tuo imperio & auctoritate, qua plurimum erga omnes eloquentiæ ſtudioſos tãquam alter Mæcenas vales, auide expectatur: hic tibi præcox quidem & immaturus ſed fortaſſis non ingratus conſecratur. Itaque ſicut me ipſum totum pater tibi tuoque obſequio mancipauit; ita ego lubens volenſq; & me & librum hunc in TVVM SACRVM LVCVM ET FANVM, vt ad aſylum totius orbis tutiſſimum, recipio.

Scio autem non defuturos, qui mihi hoc obijcient, me inſtar alterius corniculæ Horatianæ ex alienis laboribus diteſcere, & ea, quæ alteri accepta refero, tibi tanquam mea offerre; his tamen hoc vnum modeſte velim reſpondere, me non paruam operam in auctoritatibus colligendis poſuiſſe, & vt in lucẽ omnium veniret, diu multumque ſudaſſe. Tu

vnus ſi probas, quæ literis mandamus, ſi faues tenuiori noſtræ induſtriæ; ſi paternum nomen amas, ſi optimè te eſſe animatum erga meos labores, & obſequium, quod tibi palam voueo, vel leuiſſimo nutu ſignificaueris, ego me omnia, quæ ſumma cenſentur, conſequutum putabo. Tuo igitur bene ominato nomine CARDINALIS ILLVSTRISSIME, quod apud omnes nationes plurimum poteſt, tectus; tua cardinalitia auctoritate, quæ & in Italia, & in Gallia clariſſimè elucet, confirmatus; tua auita familiæ nobilitate, quæ olim reges Galliæ, nunc principes habet affinitate coniunctos, fultus; tua pietate, quæ tibi ſingularis eſt, erectus; tua denique negotiorum tractandorum peritia, quæ non humili & obſcuro loco latet, ſed quaſi in ſpecula quadam excelſa atque illuſtri eſt poſita, corroboratus, hunc librum tum Romæ, tum vbique terrarum probatum iri certiſſimè confido. Nouit Roma quantum tibi debeat, quam cũ Chriſtianiſſimo Rege fœdere adamanteo coniunxiſti: ſciunt omnes quantum tibi Rex Chriſtianiſſimus tribuat, quem cum ſummo Pontifice conciliaſti. Fatentur Galli omnes quantum tibi Gallia concedat, quam in antiquum ſplendorem reſtituiſti. Tu quidem Romæ ſacram purpuram, illa vero pacem tibi acceptam refert. Non ſum autem veritus, quin tibi in rebus maxime occupato, quas Rex HENRICVS QVARTVS Chriſtianiſſimus & poſt hominum memoriam maximus

mus tuæ fidei diligentiæque commiſit hoc ipſum, quod nunc à me proficiſcitur officiũ, futurum eſſet vel iucundiſſimum. Nam & ſi magna eſt tibi grauiſſimorum negotiorum impoſita moles, quam tu ſumma cum laude & omnium admiratione ſuſtines, in ipſa tamen illa occupatione ita te litterarum tractatio reficit, vt & cum voluptate legas, quæ alij ſcripſerunt, & cenſorio quodam iudicio de his æquam ſententiam feras.

Vtinam vero quod olim Momus à Vulcano petijſſe fingitur, verum eſſet; ſcilicet, vt aperta & nuda omnibus cogitationum humanarum paterent conſilia. Videres enim tum paterna, tum mea omnia ſtudia, noſtros conatus, noſtras tum animorum, tum corporum contentiones in te vno CARDIN. ILLVSTRISS. colendo, eſſe collocatas.

IN FABVLAM IOANNÆ PSEVDO-PONTIFICIS ROMANAE, E CORRVPTO HISTORIARVM ALBO ERASAM à FLOR. RAEMONDO Senatore Burdigal.

C*Redideram ſæui Phlegræa Typhóeos arma*
Enceladi furias, & dIs centena minantem
Vincla Gygem, nugas & ſomnia vana fuiſſe
Sed mea ſit ſubleſta fides: Titania quando
Impietas noſtros mundi de vertice Diuos
Eijcere, & ſanctam Petri reſcindere ſedem
Coniurata fuit, ſimili vt peterentur ab hoſte
Omnipotens cælum, cœlique vicaria Roma.
Ah genus inuiſum terræque obnoxia proles!
Quæ ſimul innixam ſeptenis collibus Vrbem
Nulla vidit opum vi poſſe à ſtirpe reuelli,
Altáue fundamenta quati: grauioribus arſit
Inuidiæ ſtimulis, & in illa antiqua piorum
Lumina Pontificum, veris quos fama coronat
Laudibus, impura coniecit toxica linguæ.

Sæpè

Digitized by Google

Sæpè quidem ſummos veſana calumnia PATRES
Impetiit: ſed nullo fuit magis illita fuco,
Nulla magis bibulas populorum influxit in aures,
Quàm quæ fœmineo triplicis diadema corona
Impoſuit capiti, factum commenta, quod vſquam
Nec fieri potuit, nec inaudiit alta vetuſtas
Tercentum ante annos. Quo primum hæc tempore cœpit
Fabula per cunctas paulatim didita gentes
Serpere: nec tam altè radicibus ardua fixis
Hæret, & aerias quercus ſe fundit in auras,
Quam penitus rudium illa animis inſedit auorum,
Credita tam verax, Phœbi quam Pythia, vel quæ
Phocaico Themis edebat reſponſa ſub antro.

Paſſa quoque eſt fieri ſibi fucum emunctior ætas
Noſtra: nec in tanto doctorum examine quiſquam
Conſpicuo infamem ſolio detrudere Laruam
Auſus erat: quamuis manſuræ in ſecla Cathedræ
Dira Lemanicolæ facerent conuicia Ranæ.
Prò pudor! hæc nobis indigna opprobria dici
Poßiaco in cœtu Lotharingius audiit Heros,
Et regni Sorbona decus, fideique fidele
Præſidium: Ille tamen modo non immutuit ore,
Iſta nec audacem retudit, quaſi conſcia, Bezam.

Scilicet hanc Ræmunde tibi doctißime laudem
Fata reſeruabant, qui iuſta accenſus ab ira,
Magnanimi indueres animos, non ora Leonis,
Fracturus rabidos Euantis more Gigantas:
Aut velut Alcides, quem aſciuit Gallia quondam
Terra ſibi, Herculea monſtrum hoc virtute domares,
Et merito: neque enim firmati ad prælia vires

Ingenij te deficiunt, nec Dædala fandi
Copia, ſuaui dicis vbi opus peruincere dictis.
Tu malè fixa legens retrò veſtigia, ſummum
Hiſtoriæ meritis iter, certoque regreſſu
Semita non fallax metam te ducit ad ipſam.
Quàm bene ſubducta annorum ratione, vetuſtos
Exigis ad numeros primis contermina faſtis
Tempora! quam multos aduerſum educis in agmen
Aſſiduos veri teſtes, quos fallere fallax
Fœmina non potuit ſupremi in luce Theatri.
Quippe oculata fides, æqualiſque obſtitit ætas:
Quid loquar, vt priſci aſſutos ſcriptoribus æui
Fraude mala, ſpurioque nothos è ſemine verſus
Effodiente ſtylo Cenſoria virga notarit?
En corruptores falſi Cornelia damnat:
Et deportandos extremæ in littora Thules
Conſequitur fœdis infamia mæſta capillis.
Iam datur erronum, quos nupera ſecla tulere,
Iratis ſuperis, palantem illudere turbam:
Quæ procul obliquos flexerit per deuia greſſus,
Auſa leues narrare apinas, interque calarem
Fingere Pontificem: quæ tu portenta refutas,
Pudidaque eſſe doces: quales ſibi Græcia mendax
Somnia informes Scyllas, triplicemque Chimeram,
Cerbereas fauces, & nubigenas Centauros.
Te monſtrante huius mendacI apparet origo:
Eripitur perſona: ſinit iam vera videri
Se facies atri, dempto velamine, monſtri.
Fraus patet, & fraudis ſartor quicunque ſatorque:
Nec eam Roma inſons ſine crimine crimen habebit.
Victus, iò Pæan, victus, nec degener hoſtis
Deiecit vultum, manibus poſt terga reuinctis.

At tibi præpetibus fœlix Victoria pennis
Aduolat, & galeato exultim in vertice ſidit.

Quis tamen, ô Ræmunde tuo Deus æqua labori
Hoſtimenta parat? video (mirabile dictu)
En video: gemina Famæ perniciter ala,
Tolleris, & longe fruſtratus in aere noſtros
Intuitus, magnam tranas, ceu Pegaſus, oram
Francigenum. Oceano cinctos petis inde Britannos
Et ſtupidos olim, doctæ nunc nunc auris & oris.
Cattigenas Batauos, quaſq; vtraque deſpicit vrſa
Bellacis poſitas gentes trans cornua Rheni.
Mox remeans cœli per inania, viſis Iberos,
Et Tarteſſiaco flagrantes Sole columnas.
Tum ſuper obiectas vaſtis ceruicibus Alpes
Remigio alarum te ſurrigis, altaque magnæ
Heſperiæ ſuperas mirantibus oppida turbis,
Et Vaticana tandem te ſiſtis in arce:
Hic vbi totum humeris terrarum ſuſtinet orbem
Ille hominum cuſtos, alti cui ianua ceſſit
Aetheris, vt purum reſeret, vel claudat olympum.
Ille tuis faſſus ſtratum virtutibus hoſtem,
Præmia victori decernit, vt aurea ſcandas
Per ſacram delubra viam Clamydatus, & albo
Vectus equo, Paphiaque incinctus tempora myrto,
Purpureo inſignem pompam comitante Senatu.

Iſta quidem generoſe, tuiis ſit Ouatio forſan
Inſerior meritis: ſed cum maioribus inſtes
Cladibus, immanique ferum caput Antichriſto
Detruncare pares: Iuſti mox ipſe triumphi
Dona tibi CLEMENS *mundo plaudente rependet,*

Cel-

Celſaque quadriiugo inuectum Capitolia curru
Velabit trabeatus honos, & delphica Laurus.

Quæ tua ne longis aboleſcat gloria ſeclis,
In vaticano Pater ipſe & Curia concors
Ex auro affabrem ſtatuam tibi ponet, vt illic
PVBLICVS *emineas* ROMANI ASSERTOR HONORIS.

IOANNES SAMMARTINVS AQVENSIS Burdigalæ faciebat.

IN

IN FABVLAM IOAN. PP.

IN caput, inque Ducem, tela omnia ſtrenuus vrget,
Victrices laurus quiſquis ab hoſte petit.
Huic contrà fidæ obſiſtunt facto agmine turmæ,
Ductoremque ſuo vulnere ſigna tegunt.
Haud aliter, quam cum nodoſo robore paſtor
Per caulas angui funera certa parat.
Ambobus labor eſt ſummo pro vertice ſummus,
Atque caput prudens hic tegit, ille petit.
Non hæc anguineos latuit ſolertia fratres;
Non latuit ſummi pignora cara Patris.
Cernis vt hæreticus furor in ſacra culmina ſæuit:
Pontificumq; decus tentat, & imperium?
Cernis, vt abrupto ſemper ſe fœdere dira
In ſummos armant ſchiſmata Pontifices?
Scilicet hinc partu infando ſe Iana Papiſſa
Fuderat, vt celſa pelleret arce Petrum.
Non tulit inuictum RAYMVNDI *pectus, & vnus*
Schiſmaticos vincit, vincit & hæreticos.

I. B. Burdigalenſis.

IN IOANNAM PSEVDO-PONTIFICEM ROMANAM.

PRiſca fides, ſed vana fides, quã prouehit error
Et leuis è media fabula lecta via,
Illa quidem ſenſim ſine ſenſu irrepſit, at illam
Compreſſo impietas pollice corripuit:
Et iam ſanctorum temerauerat improba ſedẽ,
Eheu lautitias delitiasq́; Dei:
Ræmundi niſi mens obſeruantiſsima rerum,
Aeternum fibris heſtoriarum inhians:
Perq́; viam erroris veſtigia circumflectens,
Qua trahit incautos ſemita falſa pedes,
Errorem, quem cæca dies, & inutilis ætas
Attullit, aggeſta contumulaſſet humo:
Sic nunc ſeruat honos ſedem ſuus, indice tanto.
I nunc & iacta fabula priſca fidem.

P. BONRAMEVS.

Burdigalæ faciebat.

Πετροκατεδρόμαχοι quotq́; eſtis, quotque fuiſtis,
Quotq́; eritis, cunctos vnus in arma voco.
Lucida me CERTI, vibrantem ſpicula VERI,
Lucifugæ fugient, non tamen effugient.

Digitized by Google

ANTO. POSSEVINVS IN APPARATV SACRO.

IOANNA Papiſſa, ſiue quæ, vt commenti ſunt Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, aſtu vixerit (licet fœmina) in Pontificatu, nihil fuit. Impoſturam hanc hæreticorum plures doctiſſimi viri confutarũt, vt etiam hæreticos pigeat non tam inuecti huius mendacij, quàm quòd putidè ſint conuicti. Vide Cardinales Baronium & Bellarminum vbi de Ioanne octauo Pont. Maximo egerunt, illum in Annalibus, hunc in Controuerſijs. Papyrium Maſſonem de vrbis Epiſcopis. Georgium Scherer noſtrum Theolog. qui Germanicè id præſtitit egregiè. Onuphrium Panuuium, Gilbertum Genebrardum.

Poſtremò autem gallicè *Florimundum Remundum*, Regium in Burdigalenſi ſenatu Conſiliarium perelegunter atque ſyncerè

IDEM

Digitized by Google

IDEM P. POSSE-

VINVS IN EODEM
Apparatu ſuo.

FLORIMVNDVS REMVNDVS Gallus, & Regius Conſiliarius in ſenatu Burdigalenſi viri Illuſtris doctrina, & pietate, edidit librum de Antichriſto aduerſus nouatores, & librum prænotatum ERROR POPVLARIS de Ioanna Pſeudopontifice, dicta papiſſa, quo ſcripto prorſus cõfodit hæreticos, qui cõmmentum illud ſparſerunt in vulgus, vt amplius ea de fabula hiſcere non audeant.

FABV-

Digitized by Google

FABVLA

IOANNAE, QVAE PONTIFICIS ROMANI SEDEM OCCVPASSE falſo credita eſt.

CAPVT I.

1. *Sæpius inter Hiſtorias fabulæ ſunt inſertæ.*
2. *De Ioanna Pontifice commentum.*
3. *Autoris excuſatio, ſi in antiquitatem inſurgat.*
4. *His, qui huic fabulæ fidem adhibuere quodammodo condonandum.*
5. *Quæ de illa circunferuntur inter ſe pugnant.*
6. *Auctor ad eos, qui adſcribendum eum compulerunt, ſermonem dirigit.*

SINGVLIS ætatibus, tum ſacra, tum prophana hiſtoria ſuos habuit hoſtes; quam cum tanquam locupletem rerum antea geſtarum teſtem, certam vitæ magiſtram, fidam veritatis ducẽ, inuiolatam venerandæ antiquitatis conſeruatricẽ, ſolertem errorum, qui paſſim naſcuntur, expultricem religioſe colere debuiſſent, ad eius integri- *Sæpius inter hiſtoricos fabulæ ſunt inſertæ.*

Digitized by Google

integritatem violandam, fidem mendacijs omni arte conquiſitis adulterandam, auctoritatem fucato narrationis curſu debilitandam omnia ſua conſilia & induſtriam contulerunt. Mirum autem eſt quantum vel leuis error populari applauſu, & acclamatione confirmatus incrementi ſuſcipiat, qui vbi initio ab vno, aut altero ſparſus emerſerit, ab innumeris repentè noua fabularum adinuentione latiùs propagatur. Et nemo apud impios in pretio habetur, à quo ſemel animo impreſſa impietas portentoſo aliquo fœtu non amplificetur. Ita vero affabrè falſis contextis narrationibus & fabulis ex omni confingendi cāpo accerſitis iudicij aciē præſtringunt, vt quid in varia & multiplici hiſtoriæ ſegete tenendū, quid negandū, quid verum, quid falſum, quid amplectendum, quidq́ fugiendū, quid ambiguum, quid conteſtatum ſit, acerrima etiam de fixi cogitatione vix poſſumus colligere. Quàm multa à Moſe Plato depromp ſit, quæ, vera cōmutata nerratione, & præpoſtera adiuncta, in ſuos, quos poſteritati reliquit, dialogos, ridiculè congeſſit? Quantis fabularum integumentis Orpheus cæleſtem, ac diuinā Hæbreorum ſapientiam inuoluit? Quam varia à Trogo Pompeo, Tacito, Plutarcho, alijſque Iudaico nomini infenſis falſo de Iſraelitica aut viuēdi aut agēdi diſciplina cōmemorata ſunt? Illud idē in primis Chriſtianæ reipub. fundamētis apparuit, cuius lux quā primum oborta cum variorum errorum caliginem diſpuliſſet, ac per totum terrarum or-

bem diffuſa hominum mentes clariori diuinarum rerũ cognitione illuſtraſſet, repente nati ſunt aduerſarij, qui eam extinguere, & tenebris ſepelire ſempiternis ignominioſe cõtenderunt. In eo impudentiſſimorum hominũ grege & fæce fuerũt, Proclus, Celſus, Porphyrius, Iulianus Apoſtata, Zozimus, Symmachus, quorum aliqua in grauiſſimorum patrũ ſcriptis, dũ ab illis refutantur, inſerta impietatis ſuæ cernũtur veſtigia. Sed quid in hiſtoria ſacra immoror, cũ alios, qui aut bella à diuerſis gentibus geſta, aut variarum Rerũpublicarũ ſtatuta, aut alios euẽtus oratione percurrerũt, in multiplices, & inter ſe diſſentientes opiniones diſtractos videamus? An non ſibi mutuo Herodotus, & Cthesias in eadem narrãdi ſegete bellũ indixerũt? Quis eſt tã parũ in legendo ſagax, qui non depræhẽdat Timæum, & Philiſtũ. Q. Curtiũ, & Arrianũ, Dionyſium Halicarnaſſeum, Titum Liuium, Tacitum, & Dionem; Ammianum Marcellinum, & Zozimum in eodem interdum argumento non tantum inter ſe parum diſcrepare, ſed plane pugnantia, & maximè diſiuncta, tanquam ſi vera eſſent, perenni narrationis filo intexere? Sed quid ad varios auctores orationem conuerto, cum in vno, eodẽq; plura inter ſe parum cohærentia & conſentanea legantur? Teſtis eſt, ne ſingulos percurram, Titus Liuius, in quo conciliando, ne ſecũ ipſe pugnare videretur, multi operam ſuam fruſtra poſuerunt. Tam variæ enim ſententiæ, tam

diuerſæ opiniones, tam multiplices, & inter ſe diſſidentes narrationes auguſtiſſimis veritatis, quæ ſibi concors eſt, finibus circũſcribi non poſſunt. Itaque nec inſolens, nec inuſitatum videri debet, ſi in ea, quæ de Pontificibus Eccleſiæ exarata eſt, & poſteritati relicta hiſtoria, à maleuolis, & ignari hominibus inſerta ſunt puerilia figmenta, anilia ſomnia, abſurda fabularum portenta, quæ in plebeiorum animis inueterata ſic inualuerunt, vt apud credulos, & imperitos pōdus & auctoritatem non leuem obtinuerint. Supremus enim ille Apoſtolicæ dignitatis apex, fictis omnium perditorum criminationibus tanquam vehementer emiſſis fulminibus fuit ſemper impetitus. Hæc arx munitiſſima, in quam omnia telorum genera fidei hoſtes cōtorſerunt; hoc firmiſſimum propugnaculum, ad quod euertendum omnes belli machinas compararunt; hoc erectum in medio mari ſaxum, ad quod omnium vndarum impetus compulſi, debilitati & fracti conciderunt. Suum autẽ ſemper habebit, quæ à mille & ſexcẽtis annis incolumis in alto fluitat Eccleſiæ nauis ſapientiſſimum rectorem, cui ſummum à Deo gubernaculi tractandi imperium creditum eſt, qui latentes ſcopulos vitabit, impendentes procellas ſuperabit, fluctus omnes declinabit, eamque ſaluam ouans, & triumphans in portu collocabit.

2. *De Ioanna Pontifi-* Inter multa autem, quæ in ſacrorum Pontificum legitimorum D. Petri ſucceſſorum hiſtoriam

ſtoriam irrepſerunt mendacia, hoc vnum de Ioannæ meretricis ficto pontificatu maxime nobilitatum & ab improbis vafre & malitioſe excogitatum elucet commentum. Fuit (vt egregij tabularũ architecti fingunt) ab octingentis annis puella quædam nomine Gilberta, natione Germana, quæ cum annum ætatis duodecimum ageret, è domo paterna clam ſe proripuit, & ſe in monachi cuiuſdam Fuldenſis, à quo corrupta fuerat, ſocietatem, vt ei variarum peregrinationum comes eſſet, adiunxit. Itaque vt facilius cum Lenone ſuo, toto orbe volitaret, nomẽ in primis aliud ſibi vindicauit; & ab amatore ſuo, qui ex Anglia oriundus erat, Ioãnis Angli nomẽ mutuata eſt, & virili veſte ſumpta ſexum ementita celebriores totius Europæ Acadæmias perluſtrauit. Amatore autem ſuo vita functo Athenis Romam contendit, qua in vrbe tanquam in amplisſimo orbis Theatro ei publicè docendi munus ſummo omnium ſuffragio honorificè demandatum fuit, quod incredibili audientium admiratione, & applauſu toto triennio laudabiliter ſuſtinuit. Hac non fvlgari doctrinæ ſpecie populi beneuolentiam ſibi cõciliauit, totiuſque Cleri animos ad ſe pertraxit, ac in dies latè diſperſa fama ad ſupremos honores comparandos viam facillimã ſibi muniuit. Leone ſiquidem quarto Pontific. MAXI. mortuo frequentisſimus cleri cætus coactus, inani concepta opinione excæcatus, eam in Pontificẽ delegit, ac in augu-

ce commentum.

 ſtũ,

ſto, ac ſacro-ſancto illo Solio, cui Deus ipſe præſidet, ſummo cōſenſu repoſuit. Tanta vero calliditate veteratoria illa meretrix ſexum ocultauit, vt toto triennio, quo Pontificatum adminiſtrauit, vix ſimulationū inuolucra detegi potuerint, donec à Cardinali quodam grauida facta, & ad pariendum vicina, in publica omnium ordinum ſupplicatione, in ipſis partus anguſtijs animam efflauit; hoc eſt ſomnij tam bellè excogitati caput, hæc ficta aduerſariorū calumnia, hæc fabulæ tam affabrè cōſutæ inaudita narratio. Sed quid ab orbe condito aut dictum, aut fictum fuit impudentius? Quid ſcriptum ineptius? Quid aſſertum abſurdius? Tam varijs autem diuerſi auctores hanc adinuentam hiſtoriam coloribus illuſtrarunt, pigmentis illuminarunt, fucis illitam adulterarunt, vt quibus inhærere debeam difficillimum ſit cognitu, ſingula quæque percurrere longum, omnia refutare immenſum. In his enim, qui de ea ſcripſerūt, vt peruagato vtar dicto, tot ſententiæ elucefcunt, quot capita numerantur. Demiror equidem excogitatam hanc fabulam quadringentis annis decurſis, à quibus res geſta fingitur, repentè è tenebris erupiſſe, & in lucē, ac conſpectū omnium nullo auctore, nullo principe, nullo duce prodijſſe, tantamque, (quæ fuit illius ſæculi labes, & macula) auctoritatem, & pondus accepiſſe, vt non ſolum ab inertibus, & plebeis, ſed quod deplorandum eſt, ab omnibus ferè in numero earū hiſtoriarū, quæ conteſtatæ & probatæ cenſentur, nul-

lo delectu adhibito reponatur.

Non parũ igitur fortunatè,& auſpicato mecum actum iri exiſtimabo,ſi caliginem hanc, quã ignorantia indoctorum animis offudit ingenij luce diſcuſſero,& tam abiecti, & obſoleti cõmenti leuitatẽ in hoc libro tanquam in theatro omnibus expoſito ſpectandam palam propoſuero. Non me fugit quo honore & reuerentia venerandam antiquitatem debeam colere: quæ licet decrepita,& rugis deformata videatur, aliquid tamen natiui coloris per omnes partes fuſi habet, quo blandè,& latenter ita mentes ad fidem ſibi admouendam rapit, vt nulli fas eſſe credatur ſacros illos fines, & limites, quos altè defixit, de ſua ſede temerè diuellere. Itaque antiqui illi Romani, qui Theologiam ſuam fabularum integumentis inuoluerunt, acutè finxerunt, Deum Terminum, qui minimus, antiquiſſimus tamen omnium habebatur, cum reliqua Deorum turba è Capitolio lubens receſſiſſet, nunquam Ioui omnium Maximo, loco cedere voluiſſe; quo ſymbolo tacitè innuebant, ea, quæ antiquitate tanquam firmiſſima baſi fulciuntur, tãto in honore,& pretio nobis ducenda eſſe, quanto ipſa Iouis oracula,& iuſſa, ac proinde antiquitatẽ,& Iouẽ duo eſſe ſuprema numina pari majeſtate,& reuerẽtia proſequenda. Ego vero eos,& ſacrilegio,& culpa omni carere exiſtimo, qui in dubiũ nõnulla vocarũt, quæ lõgo annorũ curſu, tanquã vera, & certa habita fuerunt, cũ vix adumbratã veritatis imaginẽ 5. *Autoris excuſatio ſi in antiquitatẽ inſurgat.*

præ ſe tulerint. Illi enim ſæculorũ, & ætatum flexus in omni hiſtoria, maxime vero in Eccleſiaſtica, quæ acriores, & ferociores, à quibus grauiſſima accepit vulnera, nacta eſt hoſtes, longam quandam & inter ſe colligatam ſeriem fabularum fallaci quadam veritatis ſpecie fucatarum poſt ſe trahere conſueuerunt. Graue igitur & durum eſt nos ad eorum inueteratas opiniones amplectendas, quaſi vi & armis compellere, qui nullum aliud nobis obijciunt firmamentum, præterquam antiquitatem ſitu & ſquallore obſitam, ſordibus obductam, nulla auctoritate fultam, interruptam, & inexplicatam, in qua nihil lucis pręter inane antiquitatis nomen effulget. Non enim eam antiquitatem refert, quæ ſacris religionis catholicæ finibus circunſcripta, variorum auctorum vna voce conſentientium grauiſſimo teſtimonio confirmata multarum ętatum ſerie & continuatione approbata, ſemper ſui ſimilis eſt, nunquam ſibi diſſentiens.

4. *His quibus ic fabulæ fidem adhibuere quodam modo condonãdum.* Non inficior eos auctores, qui fictum hunc Ioannæ pontificatum literis, & memoriæ prodiderunt, tam copioſo eſfloreſcere numero, vt hi digni venia & excuſatione videantur, qui huic fabulæ fidem adhibuerunt. Tolerabiliores ſiquidem hi cenſentur errores, quos non vnus aut alter, ſed frequens multitudo pari impetu abrepta auidè amplectitur. Ipſa enim ſocietas eorum, qui eundem errorem decepti hauſerunt, culpam ſi non omnino tollit, non leuiter tamen minuit, & adumbrata qua-

quadam veriſimilitudinis ſpecie ſententiam eorum tuetur. Veruntamen ſingula quæque non plebeia quadam trutina, ſed aurificis ſtatera ſunt examinanda, ne preiudicatę opinionis effrenata auctoritas, veritatem ſubuertat, præſtetque, vt plus fidei fabulis, & figmentis, quam conteſtatis veræ hiſtorię narrationibus tribuamus. Notum eſt enim illud tritum & peruagatum Simonidis dictum. Opinionis enim ſemel ingeneratæ tanta eſt vis & impetus, vt nullis carceribus, quominus libere vagetur, poſſit coerceri. Mirum eſt, quanta inſit ad animos omni ex parte voluptate perfundendos in fabulis facultas, quæ teſte Plutarcho ſuauiter ſe in mentem inſinuant, blandoque quodam ſenſu eam titillant. Nulla eſt verborum ſuauitas, nulla carminũ venuſtas, nullus dicendi ornatus, nulla in loquendo maieſtas, nulla denique in fabrica orationis numeroſè fluens iunctura, quæ tantum virium, & leporis ad animos flectendos habeat; quãtùm fabula & ſermonis feſtiuitate, & rerum diuerſo ordine conſperſa, cuiuſmodi eſt hæc, quam de Ioanna Pſeudopontifice præclari rerum architecti facetè adinuenerunt. Animorum noſtrorum hæc eſt corruptela & tabes, vt potius fictis, quam veris & grauibus narrationibus oblectetur.

Verũ nuda huius fabulæ explicatio tã male inter ſe cohærens ſi ſuo momento diligentiùs examinaretur, ſuam ipſius vanitatem & abſurdã leuitatem in omnium conſpectũ proferret 5. *Quæ de illa circunferũtur inter ſe pugnant.*

 Quis

Quis ſiquidem ſibi perſuadeat, & in animum inducat, illam Anglam ſiue Germanam, (de origine enim illius inter ſe digladiantur) è medio monachi cõplexu digreſſam, Athenis facile prima inter literatos tenuiſſe, publicè docuiſſe, & tot annorum curſu, ita callidè ſexum ocultaſſe, vt Italis fucum faceret, & ab his, contra antiquas Eccleſiaſticas dignitates intercludunt, in ſede, quæ à primis illis Eccleſiæ Antiſtibus Clemente, Anacleto, Cypriano, Auguſtino, D. Petri ſolium nuncupata eſt, cum ſummo rei Chriſtianæ dedecore reponeretur? Eò autem aduerſarij, qui ſe à Deo miſſos, & ad vniuerſum orbem melioribus vitæ inſtitutis formandum natos prædicant, impudentiæ proceſſerunt, vt auguſtam hanc ſedem Antichriſti thronum per ſummam ignominiam appellent, quaſi vero in ſola ciuitate Gebennenſi tantopere ipſorũ impuro ore commendata Deus peculiare ſibi quoddam domicilium, & ſempiternum tectũ collocarit. Quis inquam credet mulierem infima ſorte, & natalibus abiectam, laſciuam, vagamque meretriculam omni intemperantiæ, & libidinis genere etiam à teneris annis vbique terrarum deturpatam, potuiſſe vnquam cogitare de ſummo illo dignitatis apice, & maximo omnium gradu ſibi comparando, maxime in ea ciuitate: in qua Italorum gens verſatur, qua nulla alia callidior, nulla ſolertior, nulla ſuſpicioſior eſt, ad quam tanquam ad omnium vrbium dominam, & omnium

Eccle-

Eccleſiarum, vt ait D. Hieronimus, toto orbe diffuſarum matrem innumeri è remotiſſimis terrarum oris confluunt, ita vafrè degiſse, vt nunquam fraudes & lenocinia, niſi prius in ſupplicatione publica, partu edito è tenebris in lucem prodierint?

Hoc autē non tantum à veritate: ſed omni veri ſpecie alienū eſt, & nihil aliud quam portentū maleuolorū arte & induſtria formatū & omni colorū genere ad eorum nutū & arbitrium depictum videtur.

Itaque vos, qui inconſultò, & temerè in plebeias & dubias vulgarium auctorum & parū probatorum hominum opiniones auiditate maxima capti aduolatis, quiq; taciti apud vos exiſtimatis, me tam arduam & ſpinoſam ſcribendi ſiluam ſuſcepiſſe, vt ex ea, vel pro mei nominis exiſtimatione, vel pro ſedis apoſtolicæ dignitate, me liberè expedire poſſe ſit difficillimum, animum æquabiliter aduertite, & pro ea, quæ vobis innata eſt humanitate, priuſquam iudicium faciatis, à capite ad calcem hunc librum percurrite. Quamuis enim arduum ſit, & difficile ipſi etiam veritati, præſertim calamitoſa hac ætate, quæ nouitatis eſt appetens & cupida, inueteratas eas opiniones, quas mendaciū vbique ſparsū & popularis error longa annorū ſerie confirmatas in multorū animis defixit, radicitus euellere, cognoſcetis tamē me pro viriū contētione in eo maxime deſudaſſe, vt portētoſa hęc Chimęra velis, quib⁹ obducebatur, nudata omniū oculis

6 *Autor ad eos qui ad ſcribendū eum compulerunt ſermone dirigit.*

culis in publica luce pateret. Neque enim hominibus ſolum, qui ſententias falſas imbiberunt, perſona, qua vultus eorum teguntur, detrahenda eſt, ſed etiam rebus ipſis, quæ in falſos ſenſus torquentur, facies priſtina, & natura eſt reſtituenda. Quamobrē ſi quid aſperum & rude in mentibus veſtris hæc ætas noſtra nouarum rerum amica impreſſit, alacriter deponite, animoſque veſtros, vt veritati locus conſentaneus detur, omni ex parte æquabiles & lenes præbete. Hunc enim ex meis tenuioribus laboribus triumphum ſpero & hanc mihi (ſi exiguum hoc opus integrum percurratur) vigiliarum mearum mercedem promitto, me ſemina errorum, ſi adhuc aliqua deliteſcunt, extincturum, radices extracturū, fibras euulſurū. Quæ ſiquidē contortæ & aculeatæ ſophiſtarū argutiæ, quę ſubtiles in diſſerendo technæ, quæ quæſita in reſpondendo ſubterfugia aciē argumentorum meorum, quibus portentum hoc veſtrum confoſſum iacebit, poterunt retundere? Pudebit, vt opinor, vos aliquando tam déſis ignorantiæ tenebris & cæcis nubibus circunfuſos tandiu in eo errore iacuiſſe, & obfirmato animo partes illius defendendas mordicus ſuſcepiſſe. Itaque tandem aliquando quantum veſtra dignitas fideſque patitur, ſaluti veſtræ ſeruite, & hanc erroris maculá eluite. Improbi ſoli quidem, & inuerecundi homines, qui fidei auitæ & veræ naufragium fecerunt, quorumque ſtudium eſt, omnem male-

maledicendo quærere voluptatem, ac conuitijs veritatem depreſſam extinguere, ex hoc vno ficto Ioannæ pontificatu oblatrandi anſam tanquam Siſyphi ſaxum verſantes abripient. Quamuis enim attritæ & profligatæ varijs rationibus huiuſmodi hominum vires iaceant, eo tamẽ arrogantiæ progrediuntur, vt ſe Tellure dea ſatos tanquam Gigantes exiſtiment, & deiectos ac proſtratos nunquam fateantur, ſed furore incredibili in contrarios conatus erigantur. Malitia ſiquidem, vt ait Tertulianus & D. Hieron. facile deprimitur, ſed nunquam coercetur. *Ad Gnoſticos.*

CAPVT II.

1. *Auctorum de Ioanna diſſentiens opinio.*
2. *Ex rumore teſtimonium petitum.*
3. *Veteres auctores, qui de ea ſcripſiſſe putantur*
4. *Mariani de ea teſtimonium.*
5. *Ex Martino Polono auctoritas petitur.*
6. *Martinus Polonus, & alij mendacio conuicti.*

QVI aliquò haſtam, aut ſagittam collineant, vnam viam, qua propoſitum ſibi aſſequantur ſcopum, reperiunt, plures autem & prope infinitas, quibus aberrent. Nunquam enim contrarijs telũ emiſſum ad ſcopum dirigitur curſibus. Illi vero omnes, qui hanc fabulam aut integris opuſculis de ea editis literis mandarunt, aut a- *1. Auctorum de Ioanna diſcentiens opinio.*

lijs

lijs in locis ſummatim & paucis eam attigerunt, tam variè & diuersè depictam referũt, vt non ſatis conſtet, an magis inter ſe hi diſſẽtiant quam res à ſe ipſa. Operæ præcium illis erat, prius de mendacio communi quadam conſpiratione, & conſenſu conuenire, vt in tanta auctorum turba, aliqua veritatis adumbrata imago eluceret. Summũ nihil inter ſe cohærens depræhendatur, qui fieri poterit, vt ad rẽ incertis & dubijs probationibus cõteſtatã noſtra ſe inflectat ratio? In emblemate quidẽ vermiculato, aut opere teſſellato ſingulæ partes ita venuſtè coniunguntur, vt non ex diuerſis corporibus, ſed ex vno coagmentatæ videantur. At in hac noua chimæra nihil præter ſcopas ſolutas & cẽtones hinc, & inde petitos, ac malè conſutos apparet.

Norat . In art. Poet.

Cuius, velut ægri ſomnia, vana
Finguntur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.

Non ita periti rerum fingendarum artifices extiterũt, vt tenebras oculis offuderint, & aciem eorum perſtrinxerint, qui nihil credendum cenſent, quod vel amplitudini nominis, vel legitimæ ſucceſſioni ſingulis ætatibus à viris eruditis in ordinem digeſtæ, vel vitæ integritati ſummorum pontificum repugnet. Quod enim de hac pſeudo-pontifice ſcriptis tradiderunt, potius apud Garamantas, & Indos, aut Antipodas contigiſſe videtur, quam Romæ, quæ totius Chriſtiani orbis noſtra, patrumque memoria ampliſſimũ theatrum omnibus propoſitum extitit. Hæc,

vt

vt Polemon apud Atheneum gloriatur, eſt vniuerſitatis huius omnium oculis patens ſpeculum.

2. Ex rumore teſtimonium

Quoties vero primi illi, qui de Ioanna ſcripſerunt, auctores, in ſermonem de ea inſtituendum incidunt, cum nihil certi habeāt & quò aduolent ignorent, toties vt lectorum animos aliqua veri ſpecie ſuſpenſos teneant, ad hanc tritam loquendi conſuetudinem accurrunt; ita dicitur, ſic vulgo fertur, hic eſt communis rumor, ea eſt fama, ita accepimus, hoc ita narratur; nulloque alio teſtimonio, quam incerta populari aura, & vulgi rumore nitūtur. Thales ille ſapiens omnium ore celebratus, interrogatus quantum veritas, à mendacio diſtaret, tantū, inquit, quantum oculi ab auribus. Ita planè hi omnes multa ſe audiuiſſe, nihil autem vidiſſe, & aures quam longiſſimè potuerūt extēdiſſe, oculos verò ne vel minimū aperuiſſe mihi videntur. In re tanti ponderis, & momenti, non ſatis eſt, ad ſolam famam, & ancipitem auctorum fidem accurrere, ſed ea in medium afferantur oportet, quæ aut in omnium oculis geſta, aut ab aliquo ſaltem locuplete teſte viſa fuiſſe confirmentur. Quaſi vero ea quæ à noſtra ætate, & cognitione remota eſt veritas, à quibuſcunque peti debeat teſtibus, & non ab ijs ſolis, qui vel intuitu rem geſtam fatentur, vel firmiſſimo aliquo argumento fulciuntur? Leuitatis non minimæ eſſet in omnium dictis temerè conquieſcere, incerta pro certis, dubia pro conteſtatis,

tis,falſa pro veris credere. Operepretium eſt iudicij delectum adhibere, & ſagacitatem, & induſtriam eorum,qui venantur,imitari:quorum ſtudium eò tendit,vt veſtigia, luporum terræ impreſſa à canum veſtigijs, inter quæ maxima elucet ſimilitudo,ſolerter diſcernãt. Præclarè ſane Theophilus auctor Græcus; ſui temporis ſcriptores,qui omnia quę literis mandabant,ad vulgi rumores referebant, cú ijs comparare ſolebat, qui aerem verberabãt, cum vmbris pugnabant,& Andabatarum more,quo ictum dirigerent,ignorabant.

3. *Veteres auctores qui de ea ſcripſiſſe putantur.*

Age vero,ne ſemper riuulos ſectemur, Primos,à quibus hæc ſomnia deriuantur, fontes inſpiciamus.Qui omnium antiquiſſimi de Ioanna ſcripſiſſe putantur,hi præcipui anteſignani cenſentur, Marianus Scotus,an. 1086. Martinus Polonus 1320. Radolphus Higedenus 1342. Matheus Palmerius anno 1440.& alij qui eos ſubſequuti ſunt, quos inferius ſuo ordine commemorabo. Hi verò omnes ita ambiguè,ita obſcurè,ita incertè de ea loquuti ſunt; vt in ancipiti loco totam hanc controuerſiam reliquerint;& nihil præter communem, & popularem famam, quæ mendacijs patet,& vires, vt ait poeta, acquirit eundo, in ore habuerint.Sed cum eadem ætate, qua Ioanna non floruerint, vnde eruta è tenebris ſacræ antiquitatis monumenta protulerint, palam dicant;ſi quos habent reconditos theſauros, quo loco delitescant, demonſtrent;ſi quas inauditas obſeruationes,eas inſinuent; ſi

quos

Digitized by Google

quos præuios auctores,eos citent: à quo nomẽ,à quo natale ſolum,à quo indolem, à quo educationem,& totius vitæ curſum, quem longa narratione perſequuntur,à quo extremũ,& portentoſum,de quo agunt,mortis genus acceperint,palam loquantur. Obmuteſcunt,tacent,palleſcunt,& nullum auctorem, quamuis plurimos ea ætas protulerit, ſuæ aſſertionis patronum nanciſcuntur. Qui centurias diſſemanarunt, & eas omni mendacij genere ſparſerunt,vt aliquam veriſimilitudinis vmbram, & imaginem rei incertæ affingerent,dixerunt,primos quicquid literis de ea mandarunt,hiſtoricos,ex vetuſtis cænobiorum, in quibus Ioanna vixit, annalibus decerpſiſſe; aut à viris fide dignis audiuiſſe. O propugnaculum parum firmum! ô munimentum ridendum! ô futile probationis genus,quo huius hiſtoriæ fundamentum,nullo auctore,nulla antiquitate,nulla fide,ſolo autẽ nouorũ hominũ verbo,tanquã alterius Apollinis oraculo aſtruitur! Vbi illa ex cœnobijs decerpta cõmentaria? Vbi libri,qui hui⁹ rei memoriã cõplectãtur? vbi hui⁹ hiſtorię prodita ſimulacra deliteſcũt? ex eorũ hominũ grege emerſit quidã nõ minus impudẽs quã mẽdax, qui eò audaciæ prorupit, vt auſus ſit dicere, ſe Coloniæ certa huius hiſtoriæ veſtigia in antiquis quibuſdã monumentis,ea,qua paſſim ſerię narrantur,diligenter perluſtraſſe. Si ita eſt,poſteritati conſulat. Et quæ ſolus tanquam alter Endymion obdormiendo ſibi

finxit ſomnia, in omnium conſpectum proferat. Equidem hoc de me affirmare audeo nec mihi quidpiam falſi aſſumo, me Vuittẽbergæ, quæ Lutheranorum arx & Aſylum eſt, in quodam veteri commentario huius fabulæ tam bellè contextæ originem percurriſſe. Prodam libenter, & impertiar illis laboris mei fructum, modo illi, quos futiliter iactant antiquitatis fontes, aperiant: vera falſis opponam; dubia certis retundam; ficta conteſtatis euertam; fibraſque huius mendacij perſequar & elidam, ne vlla vnquam poſſit exiſtere. Hic mihi ob oculos petulans & effrenata cuiuſdam Pſeudominiſtri obuerſatur temeritas, qui ab anagrammate falſum ſibi Ieeſſen comitis Melitenſis nomen arrogauit; & ſe codicem amplum ſola antiquitate fultum, in quo huius mei libri tenuiores nerui præciſi apparerent, ſcripturum promiſit. Sed hæc ſunt eorum aucupia, hæ tendiculæ, hæ artes, vt ſe antiquitatem venerari profiteantur, quam execrantur; integram conſeruare, quam diſcindunt; nihil adiungere, cui adimunt; ornare, quam lacerant; adamare, quam odio proſequuntur. Ecquis in poſterum fidem illis adhibendam cenſebit, qui nõ ſolùm prophanam hiſtoriam corruperunt, ſed nouam librorum ſupellectilem ad ſacrũ Bibliorum canonem adiunxerunt, probatos & canonicos reiecerunt; multa, quæ eos iugulabant, teſtimonia abraſerunt; noua, quæ eorũ partes labantes fulcirent, intexere auſi

fu-

fuerunt; antiquorum doctrinam reſpuere; ſua ſomnia prædicare, admirari, omnibus anteponere non dubitarunt?

Mariani de ea teſtimonium.

Primum quidem omnium, qui funeſtum Ioannæ caſum literis expreſſerit, Martinum polonum plerique aſſerunt: Germani tamen omnes reclamant, & Marianum huius hiſtoriæ principem communi ore celebrant. In libro quidem Mariani Baſileæ anno 1550. exarato, nonnulla de Ioanna inſeruntur verba: ſed eius rei commemoratio ita ieiuna, & exilis eſt, vt auctori ipſi incerta videatur, aut ab alio adiuncta deprehendatur, & pondus leuiſſimum conſequatur. Labes autem hæc, & macula non ab alio, quam à Ioanne Heroldo inuecta eſt, qui cũ Mariani αὐλόγραφον ad ſe, à Ioanne Latomo Francofurti decano miſſum accepiſſet, & typis mandandum curaſſet, genuinum auctoris ſenſum, inſigni hoc mendacio corrupit. Cum enim Marianus dubius & anceps de Ioanna egiſſet, & his verbis vſus fuiſſet; *Leoni, vt aliqui commemorant, Ioanna mulier in Pontificatu ſucceſſit*, egregius doli artifex & corruptor hæc verba, quæ nihil aliud quàm leuem & plebeiam auram arguunt, (*vt aliqui commemorant*) penitus abraſit. Sed quam veritati conſentaneum id ſit, auctor, cuius opera Metropolis Alberti Crantij Coloniæ impreſſa in lucem exijt, teſtis locupletiſſimus erit, qui ſe antiquiſſima Mariani exemplaria diligenter perluſtraſſe, & nihil ſimile in ijs animad-

uertiſſe ingenue profitetur. Qui tamen minus titubanter, & incertè de Ioanna ſermonem inſtituere debuerit, quàm Marianus, licet ducentis poſt eam vixerit annis, reperies neminem. In eodem enim Fuldenſi Cœnobio, in quo à prima ætate Ioanna edocta fingitur religionis vota emiſit, & ibi diu, multùmque verſatus aut ex ſeniorum monachorum, qui plurimi in eodem loco morabantur, familiari congreſſu & narratione id potuit certò reſcire, aut ex tabula & albo, in quo omnium religioſorum nomina notabantur, decerpere, aut ex illius loci annalibus tanquam ex penu ampliſſima mutuari. Sed non falſus Apollo; è quorum manibus hic liber exciderit, auguror. E latibulis enim, & gurguſtijs Lutheranorum erupit, quibus ea eſt ars innata, vt omni fuco aliorum ſcripta adulterent. Quaſi vero, qui poſt Marianum (ſi ita ſit vt ipſi fingunt) de Ioanna ſcripſerunt, non ipſum Marianum in ſuæ ſententiæ patrocinium aſciuiſſent, & ſuam hac arce opinionem muniuiſſent? At quis eſt antiquorum, qui ad Mariani caſtra accurrat, qui ab illo ſuppetias imploret? qui vel eius nomen inclamet? Sed aduerſarijs, ne cenſoria illa, & ſubtiliori lima ſingula ſeuerius reſecare videamur, Marianum, quod tamen verum non eſt, primum omnium hanc hiſtoriam texuiſſe concedamus. Sit ita: quid de ea tamen certi potuit edere, multis iam ſæculis decurſis, & Ioannæ, quæ nunquam niſi cogi-

tatio-

Digitized by Google

tatione fuerat, extincta memoria? Marianus enim, vt ait Trithemius, anno 1085. vita functus eſt, floruit autẽ Ioána an. 854. At quã cognata, quã finitima, quã vicina fuerint hæc tẽpora, vt illorũ præteritã memoriã aut puer, aut ſenex Marianꝰ cõplexus fuerit, omnibus examinandum relinquo. Ducentorum enim & triginta annorum ſupra vnum interuallo, hæc à ſeipſis diſtinguũtur tempora. Non minus igitur mentiuntur, quam qui Ludouicũ vndecimum Galliarum regem Hieroſolymam armis expugnaſſe, aut Carolum octauum Romæ imperatorem creatum fuiſſe, impudenter ſcriberent.

Sed ad Martinum Polonum, vt ſingulos ordine percurram, noſtra accedat oratio; libenter ego ab aduerſarijs petierim, an in ſolo Mart. Poloni iudicio conquieſcendum putent, qui quadringentis, & ſeptuaginta annis poſt Ioannæ tempora vixit, & dum de ea loquitur, huc & illuc fluctuat; & quem in tantis procellarum tenebris portum tenere debeat, neſciat? Verum enimvero eò prorumpit audaciæ ignorantia, quæ à Thucidide inſaniæ parens, temeritatis altrix, petulantiæ nutrix appellatur, vt denſiſſima caligine circunſepta ſe lucem rebus impertire, cæco integumẽto vndique obducta ſe omnia ex vmbraculis & antris in ſolem proferre, præcipiti motu incitata, ſe diuturna & aſſidua meditatione veritatem indagare futiliter glorietur. Eò cæcus illius fertur impetus, vt è veſti-

5. *Ex Martino Polono autoritas petitur.*

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE III ROMA

Digitized by Google

gio nulla ratione adhibita de rebus grauiſſimis etiam cum religione coniunctis inconſultè iudicet, eaſque ſerat & diſſeminet hæreſes, quæ Rempublicam Chriſtianam in varias factiones diſtrahant, perdant, exterminét. Sed ipſius Poloni verba in medium producamus; ſic igitur ait: *Poſt hunc Leonem, Ioannes Anglus, natione Moguntinus, qui alibi legitur fuiſſe Benedictus tertius, ſedit annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor. Et ceſſauit pontificatus menſe vno: mortuus eſt Romæ. Hic, vt aſſeritur, fœmina fuit, & quum in pupillari ætate à quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenas ducta fuit, in diuerſis ſcientijs, ita profecit, vt nullus ſibi par inueniretur, adeo vt poſt Romæ triennium legens, magnos magiſtros diſcipulos & auditores haberet. Et quum in vrbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur. Sed in papatu per ſuum familiarem impregnatur, verùm tempus partus ignorans quum de ſancto Petro in Lateranum tenderet, anguſtiata inter Coloſſeum & Sancti Clementis Eccleſiam peperit, & poſtea mortua ibidem, vt dicitur, ſepulta fuit.*

6. *Martinus Polonus & alij mendacio conuicti.*

Veriùs tamen dixerim hæc omnia ex Heroldi officina manaſſe, ex cuius prælo Martinus Polonus hac egregia fabula adauctus prodijt. His tamen firmis iactis fundamentis non defuerunt architecti in Germa-

mania & Anglia, qui fabricã hanc ad culmen perduxerint. Sed in loco parum firmo, & munito, omnes ædificaſſe reperiemus, ſi omnia, quæ à diuerſis afferuntur, aut varijs in locis reperiuntur, Martini Poloni exemplaria, conferamus. Ioſias Simlerus Tigurinus miniſter, qui Conradi Geſneri bibliothecam locupletauit, ſe huius Martini quatuor exemplaria, quæ adhuc in bibliotheca Dreſſeri aſſeruantur legiſſe teſtatur inter ſe plane diuerſa, & multò quam quod expreſſum exſtat, copioſiora. Ego quidem vetus quoddam exemplar percurri, omnino diuerſum ab eo quod Suffridius, Petrus Friſius anno 1575. typis mandari curauit, qui ſummò ſtudio ex varijs locis conquiſita vetera omnia Martini Poloni exemplaria collegiſſe, & inter ſe contuliſſe fatetur, vt à mendis quibus totum opus conſperſum erat, & ab erratis, quæ partim aliorum auctorum ignorantia, partim malitia irrepſerant, fideliter purgaret. Satis, inquit, mirari non poſſum vnde tot & tam abſurdæ ineptiæ in Martinum Polonum illabi potuerint, quas in prioribus editionibus cernere licet, cùm earum, ne vel minima in manuſcriptis veſtigia appareant, & verſimillimum ſit Martinum Polonum hæc non dicam ſcripſiſſe, ſed ne vnquam præmeditari auſum fuiſſe. Neque enim putandum eſt auctorẽ quantúuis mediocrẽ ita paſſim turpiter lapsũ ſibi infamiæ labẽ inurere voluiſſe,

& ſingulis pene periodis, ignorantiæ argumenta ampliſſima reliquiſſe. Itaque incerta hæc, quæ huc & illuc vacillat auctoris diuerſitas, ſatis arguit, nullam huiuſmodi figmentis fidem eſſe adhibendam. Ego quidem omni ſtudio, & labore, quantum locorum, in quibus egi, paſſa eſt commoditas, omnia, quæ mihi in hoc argumento vſui eſſe poterant ex varijs bibliothecis conquiſiui: & in librum quēdam vetuſtate ſquallidum incidi, cuius auctor Martinus omni alio titulo ſuppreſſo inſcribitur; in quo Ioannæ huius Pſeudo-pontificis, nomen exprimitur. Neſcio an propter eam, quæ inter hæc nomina cognationem intercedit, iſtius Martini monumenta, quæ nunquam in lucem prodierunt, ſint Martino Polono ab alijs aſcripta, & ex duobus auctoribus vnum opus mixtum ſibi diſſimile, & repugnans ſit conflatum. Neque vero de hoc auctore aliud, præterquam eum eſſe natione Germanum depræhendere potui. Triui etiã familiariter manibus alterius Martini chronicum omni inſcitiæ genere refertum. Hic dum Hiſtoriam Romanam proſequitur ſe in ea peregrinum & hoſpitem omni commutata narratione profitetur. Et vt leonem ex vngue cognoſcamus, Pompilium Numæ genitorem primum Romuli ſucceſſorem fuiſſe contendit, Numam ex tribunitia poteſtate in regiam aſcitum, celeberrimũ illud templũ Romanorũ Pantheõ ab Agrippa ædificatũ, prius Cibeles matris deorũ ædẽ fuiſſe; decantatum

tum illud Titi amphiteatrum templum Solis eſſe; fanum illud paci dicatum, & æternum cognominatum, diuinitus ſubita ruina collapſum corruiſſe eadem nocte, qua natus eſt Chriſtus, & alia huiuſmodi commenta, quæ lubens prætereo, ridiculè commemorat. Præcipuam autem ſuam operam in eo poſuiſſe videtur, vt nobis ob oculos Ioannæ vitam, mores & ſupremum diem ſubijceret, & quæ ad hanc fabulam nobilitandam ſpectant, nihil prætermitteret. Ex hoc, vt opinor, Martino, alij, qui eum ſubſequuti ſunt, pari nomine & omine Martini fictitium hoc & antea inauditum Ioannæ nomen acceperunt, & quā nunquam orbis viderat, ſcriptis ſuis celebrarunt. Fracti tandem & debilitati aduerſarij aliunde auxilia petunt, & ad Higedini teſtimonium accurrunt. Sed à quo robur mutuantur? Ab Anglo, qui ſine vllo alio præuio auctore, ſine tabulis, ſine teſtibus, quadringentis octoginta ſexdecim annis poſt Ioannæ excogitatum funus, quæcunque animo commētatus eſt, ridiculè ſcripſit. Sed aliorum de Ioanna inter ſe diſcrepantes opiniones breuiter percurramus.

CAPVT III.

1. *Ioannæ Pſeudopontificis recens hiſtoria à Bocacio ſcripta.*
2. *Quid de ea Ioannes Baleus odio percitus ſcripſerit.*
3. *Sæpius qui ſcribunt, calumnias affingunt.*
4. *Ioannæ ſimulacrum.*
5. *Quid Iacobus Curio & Aretius de ea cenſerint.*

SCVLPTORIBVS eſt hoc innatum vitium, vt rudem aliquam & impolitam ſtatuam apud ſe habeant, quam antiquitate inſignem eſſe dicant, cum tamen ab aliquo, qui auram popularem venatur, prioribus lineamentis recens ſit efformata: ita noui rerũ fingendarum artifices non defuerunt, qui Ioannæ hiſtoriam tanquam opus antiquum & omnium fama celebratum (cum tamen ab ipſis poſterioribus temporibus elaboratum fuerit) palam oſtentare & venditare non dubitarint. Ita verò exquiſita arte hoc ſimulacrum perfecerunt, vt nulla in eo lineamenta, nulli pigmentorum ornatus, nullę antiquitatis notæ deſiderari videantur. Non enim vt priores de quibus egi, rumorem vulgarem ducem in Ioannæ vita percenſenda ſequuti ſunt: ſed lõgius & audacius excurrentes de natali illius ſolo, de pontificatu adminiſtrato, de mortis genere tanquam de re omnium certiſſima & antiquiſſima loquuntur. Tam impudens & effre-

effrenatum hominum genus Syneſius ad Arcadium imperatorem ſcribens cum pecunia adulterina, in qua natura potius feram & agreſtem, quam humanam & ſapientem impreſſiſſet figuram, comparabat. In ea audaciorum hominum fece, & grege Bocatius annumeratur, qui anno 1375. vixit, & librum de fæminis illuſtribus ſcripſit, in quo imaginem huius Ioannæ in publica totius populi Romani frequentia, & omnium ordinum ſupplicatione, inter purpuratorum patrum & Cardinalium brachia parturientis paucis verſibus expreſſit. Deinde longiore filo hanc hiſtoriam texit. Narrat quippe fuiſſe natione Germanam, & in Britannia cum adoleſcente quodam, ſuo ſcilicet amaſio, literis operam nauaſſe. Deinceps, amatore mortuo, aliorum fugiſſe conſortium, ac Romam veniſſe, ibique doctrinæ & ſanctitatis ingentem apud pleroſque famamcollegiſſe; quo factum eſt, vt Leone V. vita functo, ea in demortui locum ſuffecta fuerit. At Deus, vt ille ſubdit, populi ſui miſertus haudquaquam paſſus eſt illum diutius muliebri techna doloque malo turpiter miſereque deludi. Ergo malignus ille ſpiritus, qui tanti facinoris audendi mulierculæ fuerat auctor idem ad hoc dignitatis faſtigium euectam in libidinis æſtum dedit præcipitem. Patrando facinori non defuit oportunitas, ſicque tandem vterus grauidatus intumuit. O ſcelus! O inauditam Dei patientiam atque bonitatem! Sed enim quæ om-

nium

nium pene oculos faſcinarat, ſic ipſa caligauit, vt partus occultandi rationem nullam viderit. Nam cum ne obſtetricis quidem accerſendæ copia daretur, inter ipſa ſacrorum myſteria partum effudit. Et quia ſic homines fefellerat, in lachrymas erumpens iuſſu patrũ in carcerem detruſa eſt. Hæc vafer ille Florentinus, qui cum de educatione illius, de moribus, de interitu agit, cum alijs, vt ſtatim apparebit, non conuenit. Erupit autem alius, qui non ſolum eandem impudentiam eſt imitatus, verum etiam de omnibus, qui ab orbe condito liberè & audacter mendacia ſparſerunt, palmam voluit reportare, & primas partes in hoc vitij genere ſibi vendicare. Hic omni exhauſto pudore non titubanter, & ſtrictim, ſed audacter, & latè tam multa de Ioãna ſcripſit, ita ſingulas vitæ partes attigit, ita loca, ita tempora, progreſſus, & ſingulos euentus complexus eſt, vt omnia hac noſtra ætate in oculis illius geſta, non autem ab ipſo excogitata fuiſſe videantur. Ab hoc etiam vno tanquam mendaciorum omniũ ſentina, & lutulenta cloaca, ſpurcitias omnes, quas alij fidei auitæ hoſtes in vulgus iactarunt, copiosè hauſerunt. Is eſt Ioannes Baleus, natione Anglus, qui paucis ab hinc annis in ſua turpi viuendi ratione obfirmatus, è vita migrauit. Sed quibus flammarum incendijs in odium ſummorum Pontificum arſerit, quo æſtu ad res Catholicorum lacerandas abreptus fuerit, quo furore ad criminationes confin-

Digitized by Google

confingendas incitatus tantam veneni copiam, tanquam alter Cerberus, ab inferis eductus euomuerit, ſingulæ paginæ, ſi perlegantur, conteſtantur. Nullam partem, vt opinor, quietis capiebat: &, vt eſt apud Terentium, dormiendo etiam multa nocte animo verſabat, quæ die illuceſcente calumniarum noua genera literis mandabat. Pars enim ea animi, vt eſt apud Platonem nono de Republica libro, quæ eſt conſilij & rationis particeps, dum corpora ſomno premuntur & grauantur, quaſi vinculis conſtricta & ſopita, langueſcit, & ſui muneris oblita torpeſcit; alia tamen inferior facultas, quæ eſt grauiorum perturbationum plena, & cum alijs animalibus nobis communis huc, & illuc errans quaſi furijs agitata ſcelerum, quibus paſcitur, ſpectris terretur, & noua portenta machinatur. Sic canis apud Theocritum *Paſa kion aſtos mantevate igdia kigon.*

Ita plane Baleus hic omnem vitæ ſuæ flexum, & ſtudiorum ſuorum conatus eo direxiſſe videtur, vt quas poſſet turpitudinis notas Pontificiæ dignitati & amplitudini inureret. Quoties de ea loquitur, toties, vt eſt apud Theocritum, bilis in naſum coit. Equidem lubens, horrore deterritus, inſana illius verba miſſa facerem; ſed cum ab aduerſarijs ſæpius in ore habeantur, & in nos tanquam hamentata tela torqueantur, compellor hic ad hominis maleuolentiam prodendam eadem inte-

2. *Quid de ea Ioannes Baleus odio percitus ſcripſerit.*

intexere. *Ioannes Octauus, qui ab Anglo quodam Fuldenſis Cœnobij monacho, quem apprimè dilexit, Anglici cognomentum acceperat, officio Papa ſed ſexu fœmina: Romæ duobus annis ac menſibus ſex in Pontificali Cathedra pontificaliter ſedit. Hæc genere Germana, & Moguntina puella, Gilberta primum dicta, virilem mentita ſexum ſumpto adoleſcentis habitu Athenas cum ſuo amatore Monacho perrexit. Vbi cum excellenter in omnibus artibus profeciſſet, eo tandem mortuo, Romam ipſa rediit: ſed diſsimulato ſemper muliebri ſexu. Cum enim ex acutiſsimo ingenio & promptiſsima lingua, in diſceptationibus ac lecturis publicis ornatiſsimè loqueretur, multique vehementer admirarentur ſuper eius doctrina, adeo in ſe conuertit omnium animos, vt mortuo Leone in Pontificem ab ipſis eligeretur. In quo officio aliorum pontificum more contulit ſacros Ordines, Presbyteros ac Diaconos fecit, Epiſcopos promouit, Abbates ordinauit, Miſſas celebrauit, altaria & templa conſecrauit, Sacramenta miniſtrauit, pedes oſculandos præbuit, cæteraque Roman. Pontificum exercuit munera: & facta eius in Eccleſia non fuerunt tunc irrita. In pontificatu vero à quodam ſuo familiari Capellano, Cardinele, eius ſexum cognoſcente, compreſſa, prægnans efficiebatur, & in quadam proceſsione ſolemni ad Lateranenſem Eccleſiam, inter Coloſſeum, & Clementis fanum, puerum ex fornicatione conceptum in media Roma, in ipſa platea, in via publica, coram omni populo peperit: eoque*

loci

loci ex partu obijt, anno Domini 857. ac propter hoc ſcelus publici partus omni honore pontificio ſpoliata, ſine pompa Papali ſepulta eſt. Funccius non dubitat quin diuinitus ſit permiſſum, vt hæc fæmina fieret pontifex & eadem meretrix, cum eo tempore ſubderet ſibi reges, vt Antichriſtum regem agnoſcerent.

An non alicuius viri pietate, & eruditione ſingularis teſtimonium proferre videtur? Is tamen quem citat & veneratur Funccius grauiſſimis ſceleribus aſtrictus eodem fere tempore, quo hæc Baleus commentabatur, morti damnatus ſuſpendio exterminatus fuit. Sed quam ridicula ſubiungat, audite. Vt vero Pontifices & vncti patres id facinus deteſtari videantur ab ea platea declinant, tanquam à loco, de malo omnino valde ſuſpecto, hanc doctam ſolertemque fæminam ſcripſiſſe de Magia librum ferunt. Sed vnde hanc ſuam Gilbertam vir in inueniendo acutus, in primis à Monacho adamatam, poſtea à Cardinali grauidam & prægnantem factam potuit reſcire? à quibus hiſtoricis eam natione Germanam, vulgo tamen Anglam exiſtimatam accepit? à quo reliqua quæ narrat portenta mutuatus eſt? vbi ille de recondita magia liber, quem Ioanna poſteritati reliquit? Quaſi vero Cornelius Agrippa in magicis artibus apprimè exercitatus, cum reliquos, qui de Magia ſcripſerunt, commemorat, Ioannam tacitus prætermiſiſſet?

Sed

3. *Sæpius qui ſcribunt calumnias affingunt.* Sed hæc ſunt Balei ſomnia, hæ fabulæ, hæ chimeræ, hæc præclarè inuenta omni calumniarum genere referta: Nec mirum; hæreticis enim innatum eſt, tanquam ſi Aetnæi Cyclopes eſſent, noua fulmina ad veræ Eccleſiæ laudem conterendam fabricare, ea totis viribus iaculari, & nihil quod auitam illius dignitatem poſſit deturpare, non experiri. Hic eſt dicendi campus, in quo eorum excurrit eloquentia: hæc palæſtra, in qua ſe exercet maleuolorũ hominum induſtria; hæc meta, ad quã eorum curſus tendunt, vt ex conuitijs petulanter iactatis inter ſuos principem palmam referant. Nihil tamen eſt ita virtuti & veritati inimicum, ſicuti calumniandi impunita libertas, quæ vtriuſque ſplendorem tenebris conatur ſepelire ſempiternis. Sed quod olim Lyſander Laconicæ claſſis præfectus in alienæ laudis obtrectatores facetè contorquebat, in præſentia vſurpabo; Euomant, dicebat ille, & eructent, quaſcunque animo conceperunt criminationes, & ita ſtomachum faſtidioſe laborantem alleuent. Videant ipſi, ne in huiuſmodi immorer, quid de ſimilibus calumniatoribus Demetrius apud Senecam dicat.

4. *Ioannæ ſimulacrum.* Ageſis quam latè eorum furor, & odium in ſacram & Romanam ſedem progrediatur, pauliſper attendamus. Ipſo bellorum ciuilium exordio, ex eorum officinis prodijt liber de ſtatu Eccleſiæ inſcriptus: in quo inter multas, quæ ibi viſebantur imagines, illa Ioannæ collocabatur, vultu ita horrido, membris ita obtor-

Digitized by Google

obtortis, toto corpore ita doformi, vt Harpyas aut Scyllas, aut Megæram aut Careſanem expreſſiſſe quiuis dixerit. Hanc quatuor cacodæmones tota lacertorum contentione membratim in varias partes diuidebant, & ad inferos raptabant. Sed quæ in eo inſeruntur libro probra audiamus. *Sedes, inquit idem auctor, Apoſtolica ſeditiones, regnorum mutationes, et ſi quid impium adhuc addi poteſt, machinata eſt, ita vt Eccleſia ſub eorum imperio mutata ſit in procacem pellicem, de qua legimus in Apocalypſi. Sed vt res omnibus nota eſſet, Dominus oſtendere voluit in hoc Papa, cui nomen Ioannes VIII. nam mentita virum in ſuo corpore oſtendit veram imaginem pellicis Pontificum Romanæ Eccleſiæ, quæ tãdem omnibus nota fuit.*

Paulò poſt non minus impudenter, quàm malitioſè Balei verba cum ſuis coniungit. In eodem ſcribendi genere ſuam exercuit induſtriam, Iacobus Curius, qui in ſuo Chronico Baleum ſequutus, & eadem mendacia ſectatus Gilbertam hanc in comitatu amatoris, & corruptoris ſui totius orbis cœnobia perluſtrantem, & tandem in ſede D. Petri collocatam, clauum rei Chriſtianæ tractantem induxit. Equidem vereor ne religioſas & pias lectorum aures dum harum calumniarum memoriam refrico, imprudenter offendam; Satius enim (vt innuit comicus poeta) eſt ab huiuſmodi repetitionibus ſuperſedere, quàm ea retexere. 5. *Quid acobus curio & Aretius de ea cenſuerint.*

Sed vt eorum impudentia omnibus expoſita

poſita pateret, breui aceruo tam immanes criminationes complexus, in hos ſcopulos neceſſitate compulſus impegi. Hic nihil de Areto Bernæ Pſeudominiſtro loquor, qui in ſuis in Apocalypſim commentarijs reconditum illum & abſtruſum. 666. numerum quē D. Ioannes innuit ad hanc Ioannam Pſeudopontificem, quibuſcumque poteſt probationum inuolucris, conatur referre, ſed iſtius delirationes in eo quem de Antichriſto ſcripſi libro, copioſè & neruoſè ſatis conuici.

CAPVT IV.

1. *Veritas ſemper eadem eſt, & ſibi ſimilis mendacium vero inconſtans, & varium.*
2. *Quid centuriatores de Ioanna exiſtimarint.*
3. *Quid Platina, Schedellus, Sabellicus, Lucidius, & alij de ea ſcripſerunt.*
4. *Quorundam hiſtoricorum Gallorum de ea iudicium & opinio.*
5. *Noua de hac meretricula excogitata commenta.*
6. *Germanorum Lutheranorum teſtimonium parum firmum.*

1. *Veritas ſemper eadē eſt & ſibi ſimilis mendacium vero inconſtans & varium.*

QVo magis in eorum fabulis deprehendendis meus defigitur animus, eò clarius fraus ipſa eluceſcit, & ſeſe ſpontè prodit. Quamuis enim mendacium inſtar telæ longo tramite texatur, & nullis ferè limitibus circun-

cunſcriptum huc & illuc incertum vagetur, veritas tamen ſuo eoque breui termino concluſa tanquam alter Hercules de hoc monſtro non ſecus quam de altera hydra aut tricipite Geryone victoriam reportauit. Quod nobis aduerſarij opponunt propugnaculum; ædificium quidem munitum videtur, ſed ex diuerſis, & varijs partibus male coagmetatum, nulla junctura compactum, omnibus locis hians & diſſolutum, quod vel minime machinæ tactu quaſſatum corruat, & dilabatur. Præclarè itaque aureum illud dicendi flumen Chryſoſtomus nihil eſſe infirmius mendacio, dicebat; ſicuti & diſſerendi princeps Auguſtinus, nihil eſſe veritate fortius, quæ firma baſi innixa ſemper erigitur. Mendacium enim ſemper vagum & confuſum eſt, gubernatore & nauta, qui illud dirigat deſtitutum, huc & illuc errans priuſquam portum teneat, naufragium facit. At veritas, quæ à Pytagora ἀλήθεια tanquam ἄλλη θεὰ altera dea appellatur, & ab antiquis Philoſophis Iouis & temporis filia dicitur, & natiuo eoque ſimplici cultu contenta, pigmentorum inimica deſcribitur, ſcopulos omnes à fraude paratos ita prudenter ſuperat, vt ſalua, & incolumis curſum ſecundum teneat. Eam ob cauſam antiqui & Mercurio, & veritati, vt innuit Suidas, quadratam figuram dedicarunt; quaſi eo ſymbolo voluerint indicare in quamcunque partem vertatur, ſuo ſemper fundamento nixam omnibus rebus antecellere. Hęc illi eſt

innata vis, quemadmodum eloquentiæ parte Cicero teſtatur, vt nullis technis, nullis machinis, nullis dolis, nullis incurſionibus expugnetur. Hæc in iudicium vocata etiamſi patrono deſtituatur, ſe ipſam defendit; dum tacet omnia illi patrocinantur: dum premitur, fortius erigitur; hac ego munitus tanquam altera Aegide in agmen & puluerem deſcendam, cum fortiſſimis illis athletis Lutheranis Illyrico, Ingando, Iudice, Fabro & centuriarum Magdeburgenſium auctoribus manus conſeram, & quos in ſedis Apoſtolicæ caput, diſtrictos, & eductos pararunt gladios, è furioſorum manibus eripiam: acieſque ſic retundam, vt ictus omnes irriti concidant. Magnum certè & arduum, tanquam alij Gigantes, pontificiæ maieſtati indixerunt bellum, vt nullum auitæ Eccleſiæ veſtigium appareret: ſed diuina prouidentia factum eſt, vt quam obſcurare volebant, Catholicæ religionis antiquitatem, maiori luce illuſtrarint; quam funditus delere, erexerint; quam perdere, conſeruarint. Vtinam ſagaciſſimus ille antiquitatis indagator, Cæſar Baronius egregium illud opus, quod felicibus auſpicijs proſequitur, ad calcem perducere poſſit: tunc ex occulto in apertum fraudes erumpent, calumniæ patebunt, & quæ diu delituit corruptela, & multorum animos inuaſit, ſeipſam ab omnibus ſanæ mentis deſerta prodet. Hoc præclarum eſt Centuriatorum commentum, Ioannam ſummo totius cleri, populi, & im-

Quid Centuriatores de Ioanna exiſtimauerint.

& imperatoris ſuffragio ad diuinum hoc imperium & altiſſimum honoris pontificij gradum, fuiſſe prouectam. Deinde ad libidines illius diuulgandas longè digrediuntur; & campum maledicendi ampliſſimum nacti, non tantum à Cardinali corruptam, & grauidam factam, ſed ab impuris, iiſque innumeris, hominibus intemperantiùs adamatam fuiſſe confingunt: & nullam voluptatem ab oculis, nullum facinus à manibus, nullum libidinis genus à toto corpore abfuiſſe falſo architectantur. Sed cum de his conuicijs certo teſtimonio comprobandis agitur, nullam rationem, præter eorum, quos citaui, auctorum ſomnia, in medium proferunt. Nemo verò in tanto contaminatorum hominum grege reperitur, qui de patre, qui de matre huius Gilbertæ, qui de natali ſolo, qui de pago, aut vrbe, in qua nata fingitur, qui de prouincia, qui de cœnobio, in quo educata, qui de libris magicis, quos vt aiunt, ſcripſit, aliquid certi audeat aſſerere: hi tamen omnium vltimi ne in inueniendo alijs tardiores & hebetiores viderentur, ab imperatore felicem hanc, in Ioanna Pontifice creanda animorum conſenſionem, & electionem confirmatam excogitarunt.

Mirum autem eſt, quantum fidei vnius 5.
Platinæ, qui vitas Pontificum ſcripſit, leuis auctoritas huic fabulæ detulerit. Ea enim fuit multorum ſocordia & facultas, vt hoc vno auctore contenti veritaté ſagacius non indagarent.

Quid Platina Schedelius Sabellicus, Lucidius &

alii & ea ſcripſer. &c.

garent, ſed mollitie liqueſcentes in eius dictis conquieſcerent: cum tamen ea fuerit auctoris præceps natura, vt inconſtantiæ & leuitatis vitio laborarit. Hoc clarè in hac vna, de qua agitur, narratione elucet, quam cum non populari trutina ſed aurificis ſtatera examinare debuiſſet, priuſquam operi inſereret, ſegnior in re tam graui, & tanti momenti factus, nihil aliud, quàm ſe ex cuiuſdam Martini, quem diſtinctè non exprimit, libris, totum hoc mutuatum fuiſſe cõteſtatur. Cùm verò præclaram hanc fabulam lepidè narrauit, vt ſe inertię & malitiæ crimine purgaret, hæc verba ſubiunxit. *Hæc quæ dixi, vulgo feruntur incertis tamen, & obſcuris auctoribus: quæ ideo ponere breuiter & nudè inſtitui, ne obſtinatè nimium & pertinaciter omiſiſſe videar, quod ferè omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat, ea quæ dixi, ex his eſſe, quæ fieri poſſe creduntur.* Sic vero ſcribere quid aliud eſt, quam obuia quæque, vt denſius appareat volumen, in vnum corpus coaceruare, rapſodiam hinc & inde texere, nullum delectum qui tamen maxime in hoc ſcribendi genere deſiderabatur, in reijciendis quæ incerta ſunt, adhibere? Sed hoc ſcurrarum & Sannionum proprium eſt vitium, vt dedita opera, quò vberiorem riſum moueant, ea quæ in omnium oculis geſta ſunt, aliter narrando inuertant. Ex ipſo quidem Platina quiuis mediocris æſtimator eliciet non hæc à ſe eo animo ſcripta fuiſſe, vt fides illis adiungeretur,

ſed

ſed potius ne hoc ignoraſſe, & Martinum illum egregium huius fabulę architectum non lectitaſſe videretur. Si hæc vera ſibi perſuaſiſſet tanquam vnguis in vlcere fuiſſet, & odium, quod in pontifices conceperat audacius euomuiſſet. Norunt enim omnes Platinam Pauli ſecundi Pontificis iuſſu quæſtione tortum, dignitatibus omnibus, quibus adauctus fuerat, ſpoliatum, ac demum in carcerem, in quo quandiu pontifex ille vixit, arctiſſimè detentus eſt, meritò contruſum fuiſſe. Sed cum in Platina tantum præſidij non videant, quantum ad veritatem debellandam deſideraretur, ab alijs ducibus auxiliares copias petunt, & Hermannum quendam Schedellum nobis opponunt, qui in ſuo orbis theatro de hac Ioanna verba facit, ſed ita ieiunè, ita exiliter, ita incertè, vt ea de re dubitaſſe videatur. Cum enim anno 1493. floruerit, ſe huius rei ignarum fatetur, & totam hanc hiſtoriam cuidam Martino acceptam refert. Sed cum ex impura Huſſitarum familia oriundus ſit, & Norimbergæ, quæ eo tempore turpi hac labe contaminabatur, degerit, mirum non eſt, ſi ad ſuorum gratiam aucupandam fictum hunc Ioannæ pontificatum attigerit. In ſimilem imprudentiam Sabellicus incidit, qui Platinam tanquam alterum oraculũ ſequutus, eam in numerum Pontificum retulit, & Ioannis ſeptimi nomine donauit. Simili ſeipſum aſperſit ignorantiæ macula, is qui ſupplementum chronicorum anno

1503. ſcripſit. Eadem quoque veſtigia ſequu-tus Ioannes Lucidius hanc ſacrorum Pontificum albo annumerat. Miror autem hos omnes pudoris & verecundiæ oblitos rem tam longè à temporibus ſuis diſſitam, eamque incertam ſuis ſcriptis auſos fuiſſe annectere.

4. *Quorundã hiſtoricorũ Gallorum de ea iudicium & opinio.*

Sed ad noſtros Gallos hiſtoricos orationem conuertamus. Quis eorum hanc dicendi ſegetem prætermiſit? Quis hanc fabulam noua aliqua inuentione non adauxit? quis in tam diuite materia longiùs quam par eſſet non excurrit? Annalium Aquitaniæ auctor hanc præſtanti & ingenua forma præditam, ſingulari induſtria ornatam, ingenio perſpicaci decoratam fuiſſe depingit: quæ in ipſo adoleſcentiæ flore, in ſcholaſtici cuiuſdam amorem exarſit, in cuius conſuetudinem venit. Cum verò reliquum vitæ flexum percurrit, eam in ſummorum Pontificum ſolio collocat, & ex domus præfecti, & cubicularij familiari concubitu fœtum concepiſſe, & dum vterum geſtaret ac vrbe equitaret, partum & animam in ipſa via emiſiſſe, cum in Pontificatu annos duos, menſes quinque, dies quatuor ſediſſet, inuerecundè affirmat. Poſtea ſacrum purpuratorum patrum collegium, rei nouitate perterritum ſolemnibus ſuffragijs anno 858. Nicolaum primum creaſſe Chriſti Vicarium contendit. Qua in re à reliquis qui eum præceſſerunt, auctoribus omnino diſſidet: & ne à ſuis, qui eam turpiter adamarant Cardinali-bus

bus in ipſa pompa funebri deſertam fuiſſe quiſpiam ex ſtimet, vnus, vt ait mendacij artifex, ex eo numero præclarum hoc elogium & cedro dignum ſepulchro inſcripſit.

Papa pater Patrum, Papiſſa peperit partum.

O monumentum, vt cum poeta lyrico loquar, ære perennius, & Pyramidum ſitu ſublimius, cuius ſolo intuitu huius fabulæ narratio tanquam vera nobis perſuadeatur! quaſi vero tanquam alter Virgilius ſuã Phæniciam, tanquam alter Ouidius aut Tibullus ſuam Corinnam & Neæram, aut Horatius ſuam Lalagen, aut Propertius ſuam Cynthiam voluerit celebrare. Alibi melius collocatum hunc verſum offendo. Congeſſerunt in quatuor grandia volumina plures hinc inde collectas narrationes Germani: atque inter cæteras chronicon quoddam occurrit diuerſorũ authorum, quod de hac pſeudo-Papiſſa verba faciens rem ſanè miram enarrat; fuiſſe nimirum alium pſeudo Papam, cuius nomen & anni ignorantur: fœmina enim fuit, vt Itali fatentur, pulcherrima, doctiſſima & in ſpeciem vitæ probæ, latuiſſe ſub habitu viri quouſque in Papam eligeretur. dum pontificatu frueretur gerere vterum cœpit, eoque in ſtatu medio in conſiſtorio dæmon coram omnibus factum aperuit; & Papam inclamãs hunc verſum pronuntiauit.

Papa pater patrum papiſſæ pandito partum.

NONNE hæc ſunt vana deliramenta ſomnian-

niantium, quæ nobis pro hiſtorijs ab ijs ſcriptoribus venditantur? Prodijt alius in noſtra hac infelici Gallia ſcriptor, & nouus Arpinas, qui Moguntiæ in Anglia, (quaſi vero ita ſit) Gilbertam hanc natam eſſe dicat, & eam anno duodecimo virilem veſtem induiſſe, ſexumque, vt liberiùs, & ſine arbitris voluptati indulgeret, diſſimulaſſe, ac demum fraudibus ſibi ad Pontificatum viam paraſſe, in eoque tredecim menſes ſediſſe, inuerecundè aſſerere non erubeſcat. Bernardus à Gerardo Galliæ noſtræ Hiſtoriographus, in ea, quam edidit, hiſtoria, narrationem quidem hanc nõ omittit, ſed à nonnullis adulterinam cenſeri innuit, nullumque aliud quam Anaſtaſij teſtimonium producit. Quod ſi tanto ſtudio proſtitutæ iſtius Ioannæ fabulam examinaſſet, quanto Ioannæ illius virginis Aurelianenſis hiſtoriam, næ ille quæ de iſta dicuntur tanto veriora, quanto quæ de illa finguntur, à vero alieniora reperiſſet. Hic Serranum Nemauſenſem miniſtrum ſilentio præterire non poſſum, qui inueſtigatione quantũ potuit diligentiſſima, annales Gallicos in cõpendiũ redegit; & res tũ ciuiles tũ Eccleſiaſticas in vnũ coegit. Hic quaſi quibuſdã facibus immoderato in Caluiniſtarũ cauſam amore incenſus, cum ad Ioannæ hiſtoriam delabitur, nihil ea clarius, nihil verius, nihil dilucidius eſſe conteſtatur. Ad ſuam autem fulciendam ſententiam non aliunde fundamenta petit, quam ex Platina, quem adhuc mutilum & detruncatũ, vt om-

niro

nino ſibi ſuffragari videatur, proferre non veretur. Sed ſi Hieronymos, Auguſtinos, Baſilios, Chryſoſtomos miſerè lacerant, diſcindunt, dilaniant, ſuæq; ſcholæ patronos & adiutores prædicant, quos tamẽ apertos hoſtes, & noſtrarum partium propugnatores eſſe ſciunt, quod mirum ſi alios auctores audeant corrumpere? Nouitius Hieremias neſcio quis (dignus plane Caluino Magiſtro diſcipulus, ita proteruam eius, & ſcurrilem in maledicendo licentiam mirificè repræſentat) ſcribens aduerſus doctum illum & diſertum virum P. Contonum è ſocietate Ieſu, tenebrio plagiarius, quandoquidem aliunde ſatis commodè nec emendicare, nec ſuffurari potuit argumenta, quibus iam olim illorum Ioannam vtcunque videbar aſſeruiſſe, conferruminare conatus eſt. Neque tamen homo catus & acutus ad obiectiunculas illas, quas ne videre quidem niſi me indice potuiſſet, ineptas abſurdas, incertas, quidquam lucis aut probabilitatis attulit, tantum abeſt vt argumentorum noſtrorum vim ac robur, vel extremó, quod aiunt, digito ſaltem attigerit. Nihilo tamen ſeciùs homo facetus in ipſo noſtri ſolis meridie, ſuæ noctis meridiem audet oſtentare. Quid obſecro faciat, quidve non audeat tã duræ frontis homuncio, ſi quando, vt ſæpe fit, in cõciũculis aberret à propoſito, quã tandẽ prõptũ aliquẽ è ſacris oraculis locum illuſtret, ꝗ veritatis lucẽ vltrò, vel in ipſos cæcorũ oculos incurrẽtẽ, ſic ꝑtinaciter obſcurare con-

connitatur,& inexpugnabilem illam Heram expugnatis etiam iam pridem erroris ſui ducibus,pergat nihilominus oppugnare? Ac mihi vide lector hominis vafritiem ac dolum penitùs malum: Laudat me,ſuppreſſo tamen nomine meo,auctor illaudatus, quaſi depoſitarium manuſcripti cuiuſdam Martini, qui princeps fuit huius fabulæ ſomniator. Quam ego fabulam primus ſcilicet Herculeo quaſi nodo conſtrictam & preſſi fortiter& oppreſſi. Fecit eo conſilio nugator, inops alioquin ſani conſilij, vt quam ego vanitatem maximè deſtruxiſſem,eam maximè viderer adſtruxiſſe. Sed non potuit ridiculum caput ipſis ſe furti ſui tam manifeſti tricis expedire. Igitur quod potuit, tantum oſtendit MALAM MENTEM,dum noſtrum nomen ſilentij ſui tenebris occulere conatus eſt. Cuius ſcilicet opera doleret hoc anile commentum ex opertis illis non BONAE DEAE,ſed meretricis illius malæ, id eſt hæreſeos Caluinianæ myſterijs erutum, & in apertam aliquando lucem fuiſſe prolatum,riſui poſthac ſapientibus,boniſque omnibus ac ludibrio futurum.

5. *Nouus de hac meretricula ex cogitata cõmentus.*

Sed alterius generis ſcriptores, vt eorum diſſimilitudo mendacium prodat, lubet inſerere.

Theodorus Zuingerus in illo, quod ſummo labore collegit opere, ſic de ea loquitur. Gilberta Anglica, Moguntinenſis virgo clam è domo patris effugit amaſiumque adoleſcentis habitu & mutato nomine ſequuta, in Angliam & Veneri, & Mineruæ operam

ram

ram dedit. Iuuene poſtea morte ſublato cum dulcedine traheretur ſcientia, retento habitu in literis plurimum profecit. Romam profecta per aliquot annos publicè legens, plurimos habuit auditores: & cum præter ſcientiam ſingulari quoque honeſtate ac ſanctitate polleret, Leone pontifice mortuo, ipſa in pontificem electa eſt. Quis diſſentientes has opiniones non irrideat? Quis hos omnes inter ſe de re incerta digladiari non animaduertat? Quis fictam hanc hiſtoriam ſuſpectã non habeat? nihil iſte de Athenis, ad quas, vt ad iucundiſſimum Muſarum diuerſorium contendit; nihil de Fuldenſi cœnobio, in quo diu, multumque ab alijs & religione informata, & literis tincta dicitur; nihil de vario, quo multorum animos deluſit artificio: nihil de multis alijs, in quibus narrandis cæteri toti poſiti ſunt, loquitur. Hanc ſolum fugitiuam Anglam eſſe commemorat, & contra peruagatas aliorum opiniones, Leoni quinto, qui ſuperſtes erat anno 804. in auguſto pontificatu ſucceſſiſſe aſſerit. Sed cum eò me prouexit oratio, alios, qui huic ſcorto nomen antea nouum, & inauditum imponunt, in præſentia recenſebo. *Nonnullorum qui hanc quoque fabulam tractarunt hæc verba ſunt. Subtilitas & fallacia, inquiunt Ioannes Octauus omnium animos, quorum adhuc ſupereſt memoria dolo ac fraude ſuperauit: & cum ex Anglia eſſet orta, illi nomen Agnes forſitan ob mores corruptos vitamque deprauatam: exul è patria domo decepit omnes Chriſtianos; cum mentita eſſet virum ad*

rum ad ſedem peruenit Apoſtolicam, in qua digni-tate per biennium manſit.

Hanc quoque Agnetem Ioannes Hus, huius noui exercitus in veræ religionis ruinam comparati audaciſſimus Anteſignanus, in eo quem de Eccleſia ſcripſit libro, appellat. Inter multos vero alios Germanos ſcriptores non parua de nomine quæſtio orta eſt: eorum quiuis ad nutum & arbitrium ſuum nomen confinxit: hic Iſabellam, alius Margaretã, iſte Iuttam, alter Dorotheam vocatam fuiſſe contendit. In tantis mæandris quam viam ſequemur? in tam ſinuoſo labiryntho quem curſum tenebimus? In tantis diuerticulis & flexionibus, quem callem eligemus? Quilibet eorum ſibi credi poſtulat, ſe vera narrare incredibili audacia autumat: alios turpiter labi prædicat. Nemo tamen in tanta turba reperitur qui non ab ea ætate, qua Ioanna vixiſſe fingitur, remotiſſimus fuerit? Equidem ijſdem anguſtijs me interclusum video, in quas qui celebris alicuius pictoris officinam ingrediuntur, ſe coniectos conqueruntur. Quocunque enim oculos conuertant, ſimulacra inſigni arte elaborata conſpiciunt, & quod è tanta multitudine eligere debeant, ignorant. Ita planè tam varia, & diuerſa forma, tam multorum penicillis, tam diſcrepantibus inter ſe coloribus Ioannæ imaginem non in vno ſed in diuerſis locis & regionibus expreſſam contueor, vt quam verioribus lineamentis efformatam iudicare debeam, ſuſpenſus omnino

mnino hæream. In leuiori quidem re, quæ in iudicium vocatur, duorum teſtium concors auctoritas deſideratur, qui de loco, qui de tẽpore, qui de facto & de reliquis, quæ factum comitantur adiunctis, vno ore & ſuffragio cõueniant. Quamuis enim infinita teſtium ſeges effloreſceret, qui communi omnium fama & rumore rem, quæ in controuerſiam vocatur, ſe accepiſſe teſtarentur: eorum tamen corrueret teſtimonium, & nullum apud ſanos iudices momentum ſortiretur.

Aduerſarij vero noſtri eo nos clamore, ſtrepitu, verborum impetu, contortis amplificationibus, iteratis exclamationibus volunt impellere, vt fabulis, & ſomnijs non ab Homero, non à Virgilio, ſed à nouis hominibus excogitatis credamus. Taceant hi Germanorũ greges, qui Luthero addicti in pontificios homines odium inteſtinum & inimicitias immortales iurarunt: ſileant alienæ laudis obtrectatores, & exiſtimationem nominis Pontificij aſperioribus facetijs perſtringere deſinant. Diſrumpantur iſtæ immanes furiæ, frãgantur iſtæ orbis peſtes, quarum contagioſo ſpiritu ſedis Apoſtolicæ laudes contaminantur. Nihil tamen profuit Lutheranis nouum ignem atque inuidiæ flammam omnium ampliſſimæ dignitati ſubijcere. Sic enim eam extinxit veritas catholica, quæ ſemper triumphabit, vt ex tanto incendio vix tenues fauillæ ſuperſint. 6. *Germanorum Lutheranorum teſtimonium parum firmum.*

Eorum

Eorum vero vires in Germania, quam ſuis partibus totam fauere prædicabant, non minus pia, quam erudita Societas Ieſu ſic attriuit, vt vix à metu ruinæ poſſint reſpirare. Patrum enim illius, doctiſſimæ ſocietas opera, multi ad ſaniorem opinionem reuocati; pagi integri in priſtinam pietatem reſtituti, vrbes ad auitam diſciplinam reductæ, in Eccleſiæ Romanæ ſuauiſſimum & tutiſſimum ſinum ſe receperunt. Eandem plane ſecundæ fortunæ proſperam auram noſtra experitur Gallia, quæ diu cæcis Caluinianæ hæreſeos fluctibus agitata, & pene demerſa, nunc expanſis velis in altum progreditur, & ad portum tutiſſimum prouehitur. Vbi eſt ille copioſus, quo Theodorus Beza in conſpectu regis Caroli, Poſciaci inſoleſcebat, hæreticorum numerus? vbi illa de cælo elapſa pietas? Vbi duo illa millia Eccleſiarum ſupra quinquaginta, quas per totam Galliam eſſe ſparſas palam venditabat? A peſtiferis tuis partibus deſciuerunt, à tuis vexilis defecerunt, à tua doctrina receſſerunt. Nec mirum; hæc eſt veræ Eccleſiæ nota certiſſima, vt quantò magis præmitur, tantò magis erigatur; & quemadmodum ager optimus, quantò magis aratro perſtringitur, & ſulcus altiùs in eo imprimitur, iteratur, ac renouatur, tãtò meliores fœtus, & grãdiores edit. Sic Eccleſiæ ſolum cineribus martyrum perfuſum, eorum ſanguine conſperſum, & tyrannorum gladijs tanquam vomere ſubactum fructus vberiores producit. Quo enim tem-

tempore à te concitati milites, expugnatione vrbes, internecione Catholicos, vaſtitate agros, interitu fidem auitam, exciſione ſacerdotes, euerſione pontificum nomen apetebãt, eo ipſo tempore res Catholicorum incremẽtum, ſumpſerunt, & veſtræ paulatim debilitatæ corruerunt. Ad Eccleſiam Romanam duces, Princeps, & Reges, qui eam ante euertere tentarant, ſalubriori conſilio inito diuinitus afflati, ſe receperunt: vrbes, prouinciæ, & regna integra abiuratis erroribus ad eam confugerunt. Sed vt ad curriculum & ſpatium, à quo deflexit oratio, iterum ſe recipiat, reliquos qui de Ioanna verba fecerunt auctores percurramus.

CAPVT V.

1. *Teſtimonium à Sigeberto petitum.*
2. *Robertus Abbas Montis pleraque Sigeberto adiunxit.*
3. *Chronica additionibus ſemper expoſita.*
4. *Galphridus Sigeberti corruptor.*
5. *Locus Sigeberti adulteratus.*
6. *Hæreticorum technæ & ſupterfugia.*

SAcroſanctæ ſedis Apoſtolicæ hoſtes multum adminiculi, quo opinionem ſuam 1. *Teſtimonium à Sigeberto petitum.*
ſartam & tectam tueantur, in vnius Sigeberti auctoritate reponunt, ſed ſi rem altius repetamus, & eo quo par eſt iudicio, eam examinemus, tenuem & exilem eſſe reperiemus.

Quamuis enim aliquid quod noſtræ cauſæ officeret, in ſuis Chronicis quaſi per tranſennam præteriens, ſtrictim attigiſſet, non inde tamen ea eſſet elicienda concluſio, ſingula, quæ ſcripſit, eſſe cum veritate coniuncta. Qui enim rebus anno 854. geſtis potuit interfuiſſe, cum ipſe anno 1131. vixerit, niſi ridiculè eum poſtremis Ioannæ temporibus puerum fuiſſe, vitam poſtea ad trecentos annos produxiſſe, ac omnium maxima & pluſquam Neſtorea ſenectute decrepitum, mortem obijſſe dicamus? Nullis tamen teſtium, quos cauſſæ grauitas poſtulabat, ſubſidijs fultus, nullis bonis auctoribus, quos nominare debebat, ſubnixus, nullis literis, nullis membranulis, nullo macrocollo, nullo chartarum antiquarum aut inſcriptionum, quæ fidem facere ſolent, monumento vallatus, ſola vulgari fama contentus, hoc aſſeruit. Hoc quoque omnibus exploratum eſt, Sigebertum Henrici quarti imperatoris, pontificibus infeſtiſſimi hoſtis partibus ſuffragatum fuiſſe; quod ante me Trithemius doctè annotauit. Sed ne ad ſola ſubterfugia & diuerticula accurrere videar, & pugnam ac arenam detrectare, agam argumentis, & rationibus; oſtendam multa in Sigeberti chronicis fuiſſe addita, multa ſuppoſita, multa immutata. Ea vero, quæ ipſi falſo adſcribuntur, tanti ponderis & momẽti non ſunt, vt perſuaſionem & certam opinionem ingenerent: ſic enim Sigebertum loquentem inducunt.

Fa-

Fama eſt hunc Ioannem fœminam fuiſſe, & vni ſoli familiari tantùm cognitam, qui eam complexus eſt, & grauida facta peperit, Papa exiſtens, quare eam inter Pontifices non numerant quidam, ideo nomini numerum non facit.

Omnibus quidem conteſtatum eſt, Sigibertum annales ſuos vſque ad annum 1112. extendiſſe, quamuis anno 1131. vitam egerit; in pleriſque tamen exemplaribus hiſtoriam ad annum 1216. productam legimus. Itaque poſtrema hæc temporum ratio, Roberto abbati Montis accepta tota refertur, qui alterius chronica perſequutus ea, quæ voluit immutauit, & hanc præclaram fabulam, quæ in antiquioribus exemplaribus non legitur, vt veriſimile eſt, intexuit. Hoc quoque tribuendum exiſtimarim ſciolis quibuſdam, qui nimia ingenij oſtentatione inflati, omnes bonos auctores annotationibus, additionibus, correctionibus repleuerunt, & mortuis hominibus, non leuem ignorantiæ labem inuſſerunt. Mirum autem videri non debet, ſi Sigiberti chronica varijs in locis mendoſa depræhendantur, cum illius varia, antequam à Roberto Stephano anno 1515. typis mandarentur, ex diuerſis bibliothecis circunferrentur exemplaria; quæ aut amanuenſium, aut eorum, in quorum poteſtate fuerant, errore corrupta

R. Robertus abbas Montis plæraque in Sigiberto adiunxit.

Genebrardo omnium linguarum perito, & ab Arnaldo Pontaco omni ſcientiarum genere cumulato, ſummo ordine digeſtā nouis inuetis nō augeat, notis non repleat, alijs additionibus nō deturpet Quæ ſi poſtea in typographi alicuius nouitatis cupidi man⁹ incidāt ab ipſo imprimentur, & primis auctoribus turpiter tribuentur.

Eandem viam ſequutus Galphridius exceſſo omnis pudoris fræno, eo licentia prorupit, vt ſanctorum patrum vitas, maximè Pontificium Siluestri 2. Damaſi 2. Leonis 2. quorundam aliorum mendis corruperit, quod ex alijs codicibus ſimul collatis Cromerus, Hermannus Contractus, Otho Friſingenſis, Lābertus, & alij non vulgaris eruditionis viri iudicarunt, & illi vitio verterunt. Platina tamen parū hac in re religioſus, ſæpius Galphridij iſtius ſenſum, à quo tanquam à ſcopulis abhorrere debebat, in vitis Pontificum, magiſtrum & ducem ſequitur. Nihil ego ſtudioſo, & literato homini infeſtius eſſe puto, quàm ſi eorum librorum & auctorum lectione oblectetur, in quos tanquam ad molem altiſſimam erigendam varij rerum acerui coguntur. 4. *Galphridius Sigeberti corruptor.*

Errorem autem, qui in Sigebertum irrepſit, vetera & antiqua Guilhelmi Nangiaci Chronica ad annum 1302. producta ſatis produnt, in quibus & Sigeberti codex à capite ad calcem, ne vel minimo verbo prætermiſſo, deſcribitur. Ideo tamen ne vel tenuiores hu- 5. *Locus Sigeberti adulteratus.*

ius fabulæ reliquiæ conſpiciuntur. Quaſi verotantus auctor ab exẽplari antiquo, quod ſe in omnibus ſequutum fuiſſe affirmat, dedita opera voluerit diſcedere, & poſteritati, qua nihil antiquius habebat, fraudulenter imponere? Αὐτόγραφον ipſius Sigeberti, (ſi poſtremos bellorum ciuilium tumultus, & iniuriam euaſit) in Gemblacenſi cœnobio ad Louanium poſito, tanquam theſaurus ſumma cura ſeruatur. Eo in loco Sigebertus Benedictinæ familiæ nomen dedit; ibi vixit; ibi hunc librum propria manu exarauit, & ſui laboris locupletiſſimum monumentum moriens reliquit. Viris literatis, qui eum locum inuiſunt, à Monachis illius cœnobij, tanquam res rara & antiqua, liber ille oſtenditur, & in eo, ne verbũ quidem de noua hac Pſeudo-pontifice inſtituitur. Protaſius Franciſcani ordinis decus, ad ſtringendam fidem prius iureiurando deuinctus, mihi obteſtatus eſt, ſe eo in loco auctorem integrum voluiſſe, & ne vel leuiſſimam vmbram huius fabulæ vidiſſe. Illud idem Onuphrius, Genebrardus, & alij viri grauiſſimi, quorum fides apud nos valere debet, apertè teſtantur. In celebrioribus quoque Italiæ Bibliothecis, quoſdam Sigeberti codices, ex priori illo Gemblacenſi decerptos & ſumma fide tranſcriptos, in quibus fabulæ huius nulla extat memoria, ſe vidiſſe Onuphrius acclamat.

Quæ

Digitized by Google

Quæ cum ita ſint, hoc reſponſum aduerſarij non repudient, ſed æqua lance illius momentum ponderent. Hic eorum verò ſemper eſt clipeus, quoties ictus auertere; hæc arx, quoties contra nos pugnare. hoc diuerticulum, quoties manus noſtras effugere volunt, vt dicant, quæ à nobis obijciuntur, eſſe noſtro Marte inuenta, per fraudem ſuppoſita, noſtra induſtria, ne cauſſa caderemus, adiuncta. Si quid in Ireneo, Tertuliano, Euſebio, Athanaſio & alijs antiquis patribus, quod eorum frangat tela, reperiatur, illud ex noſtra officina prodijſſe conquerantur. Quod ſi ita ſit, vetera proferant exemplaria; falſi crimen, quod nobis imponunt, tabulis conuincant; rebus ac iure, & non ſolis verbis nobiſcum agant? Neque enim rationi conſentaneum eſt criminibus alios arguere, & ſuſpicionibus in iudiciũ vocare, quos nullis tabulis poſſis conuincere. Verum enimvero, quod ab omnibus legibus alienum eſt, & accuſatores ſimul & propriæ diſceptationis iudices & arbitri volunt eſſe, noſque grauiſſima pœna mulctare. Sed ad penſum redeamus, & reliquas eorum præſtigias intueamur.

6. Hæreticorum technæ & ſubterfugia.

Digitized by Google

CAPVT. VI.

1. *Chalcondylæ falſo multa impoſita.*
2. *Conradi Clauſeri inſigne mendacium.*
3. *Odij vis, omnium perturbationum vehementiſſima.*
4. *Operinus Lutheri Typographus.*
5. *Gaſparus Peucerus illo modeſtior.*
6. *Theodorus Beza in colloquio Poſsiaco hanc fabulam proponit.*

1. *Chalcondylæ falſo multa impoſita.*

INueterata eſt ea omnibus conſuetudo, vt quas ſibi confinxerunt chimæras, cum non poſſint auctoritate & ratione ſtabilire, ad eas fulciendas omnia falſi inuolucra indagare ſtudeant. Impudentius adhuc, quam quod è Sigeberto petitum eſt mendacium in præſentia aperiendum. Chalcondylas, qui imperij Græci inſtituta, vt Romanorum maieſtatem, Turcarum potentiã oratione complexus de hac etiã Ioãna, aiunt aduerſarij, loquutus eſt. Quod etſi verum eſſet, nihil aut parum virium aduerſariorum caſtra vnius peregrini & in hiſtoria Romana hoſpitis auxlio ſibi vindicarent. Ea quidem fabula, quæ in maiori Europæ parte volitabat & vagabatur, tanquam altera fama, quæ alato fingitur, potuit ſuperato mari Conſtantinopolim appellere, & in Chalcondylæ aures ſe inſinuare: qui anno 1462. ſuperſtes erat quo vno tempore talibus illius æui homines commentis obléctaban-

bantur. Sed vix riſum, qui erumpet vberrimus, coercere poterimus, ſi rationem, qua ſexum tuto Ioannã occultare potuiſſe auctor ille ſcribit, hic repetamus. Nam Italiæ, inquit, occidentales pene omnes barbas radunt, hacque ratione fieri potuiſſe, vt mulier virili veſte induta inter homines ſine ſuſpicione delituerit. Itaq; cũ in eo quod de barba radenda aſſerit, turpiter lapſus fuerit, quis eum audiendum cenſebit in re quæ longe ab ætate ſua, è tectis illius è cognatione eius, ſua eſt remota? Quoties de ijs qui obeuntis ſolis partes colunt, voluit verba facere, toties longius quam ratio poſtularet, à veritatis tramite deflexit. Audiamus eum de Anglis loquentem.

Parua ipſis vxorum liberorumque cura eſt, itaque per vniuerſam inſulam hic mos ſeruatur, quando quis amici domum vocatus ingreditur, vt primum cum amici vxore concumbat, & deinde benigne hoſpitio excipiatur: in peregrinationibus quoque mutuis vtuntur vxoribus amici. Nec probroſum ducunt vxores & filias in hunc modum impregnari:

Equidem in hoc refutando longior non eſſem, cum tam aperta ſatis ſe ipſam prodat ignorantia, niſi Conradi Clauſeri, qui hunc auctorem Latinis expreſſit literis, inſignis malitia mihi iuſtam, & irę, & querimoniæ anſam præbuiſſet. Quamuis enim auctor ille Atticus interdum longè à Græcia digrediatur, &

2. Conradi Clauſeri inſigne mendacium.

& in Latinæ Eccleſiæ conſuetudines excurrat, ac morem, quo pontifices creantur, paucis attingat, nihil tamen de Ioanna loquitur, vt in veteribus quibuſdam codicibus Græco idiomate ſcriptis, licet contemplari. Varro noſter Gallus Blaſius Vigenereus, qui politè, & tersè Græcum hunc auctorem Gallica oratione illuſtrauit, & ſumma animi integritate quicquid in veteri codice manuſcripto, ſibi à Domino à ſancto Andrea, viro & literatorum amantiſſimo, & virtutis cupidiſſimo, mutuo dato depræhenſum eſt, gallicè interpretatus eſt: in toto corpore ne nomen quidem huius portentoſæ Pſeudo-pontificis vſurpauit. Quod tamen fidus interpres, prætermittere non auſus fuiſſet, ſi in Græco exemplari exaratum inueniſſet. Itaque hæc quæ à Clauſero dicuntur, illi aut alteri ſimilis corruptelæ homini accepta referantur. *Pontificem pronuntiatum inſidere iubent ſedili foramen habenti, vt teſtes ex eo propendentes, aliquis, cui hoc muneris iniunctum eſt, tangant, quò appareat Pontificem virum eſſe. Nam conſtat mulierem quondam in ponficatum eſſe ſubuectam, quia ſexus ignorabatur. Nam Italiæ occidentales pene omnes, barbas radunt. Cum autem illa mulier grauida eſſet facta & ad feſtum ſiue ſacrificium prodijſſet, peperit infantē inter ſacrificium, inconſpectu vniuerſi populi. Quapropter ne decipiantur iterum, ſed rem agnoſcant, neque ambigant, Pontificis creati virilia tangunt, & is qui tangit acclamat, Mas nobis dominus eſt.*

Si veris & natiuis Chalchondylæ exemplaribus careremus, nobis homo arrogans, & inſolens impoſuiſſet, cum autem his abundemus, in quibus tale commentum non legitur, vniuerſa hæc labes & macula, vni Clauſero huius mendacij artifici, eſt tribuenda.

Eò autem illum, inueteratum in fidem Catholicam odium, omnium, quæ homines ad falſa ſupponenda concitare poſſunt, perturbationum calcar acutiſſimum impulit. Odio enim excæcati homines, à veritate oculos deflectunt, res incertas certis præferunt, lectiones adulterinas germanis probatorum auctorum ſenſibus anteponunt. Hoc illis eſt familiare, nunquam in veritate indaganda deſudare, nunquam excubare, nunquam, cum eam aſſequuti fuerint, in ipſa conquieſcere. Ita huius veneni vis effera feruet, & tam latè ſe effundit, vt placari, & coerceri non poſſit, ſed cõcitatior facta, quibuſcunq; poteſt fraudibus, lædere & vulnus infligere conetur. Odium igitur longe ab ijs abeſſe debet hominibus, qui ad res ab alijs geſtas, quas alat, & ſuſcipiat poſteritas, ſcribendas ſtudium ſuum contulerunt. Hæc autem duo cuiuis hiſtorico fugienda, Tacitus cenſebat, ne odio inflammaretur; ne amore raperetur, ſed tanquam alter æquus Iupiter in cælorum arce ſederet, & perturbationis inermis, conſilia, euentus, progreſſiones, fines verè narraret.

3. *Odij vis omnium perturbationũ vehementiſſima.*

Ioannes Oporinus Lutheranus Typographus, ex cuius officina tanquam ex altera Vul-

4. *Oporinus Lutheri Typographus.*

Vulcani Lipara, prima quæ multorum animis inhæſerunt. incendia prodierunt, ſe ipsũ in præfatione libri excuſat, ſi quid in Chalcondylæ verſione, à Clauſero elaborata, peccatũ fuerit. Se enim exemplari Græco, cum quo interpretationem Latinam conferret, quod ante in editionibus Zonaræ & Nicetæ præſtiterat, deſtitutum fuiſſe conqueritur. Sed eo nos labore, & errore ſimul eligans & Gallica vnius Vigenerei verſio leuauit, quam cum Clauſeri interpretatione contuli; & fabulam hanc quam nemo vnquam Græcorum antiquorum nec eorum, qui Chalcondylam ſunt ſubſequuti attigit, in germano Chalcondylæ exemplari non contineri iudicaui.

5. *Gaſparus Peucerus illo modeſtior.*

Religioſior, & prudentior his omnibus fuit Gaſparus Peucerus, qui chronicon à Melanchtone vitrico ſuo inchoatum perficiendum ſuſcepit. Is quamuis antiquis patribus & pontificibus Romanis infenſus eſſet, à narratione huius prodigij, quod fictum exiſtimapat, ſapienter ſuperſedit: à qua non abhorruiſſet, ſi vel probabilis alicui⁹ cõiecturæ vmbrã cognouiſſet, Fortaſſis prima, & impolita quæ moriẽs Melanchtõ in ſcrinio reliquerat, lineamenta & cõmentaria ſequutus eſt, in quibus nullam huius facti expreſſam imaginem obſeruabat. Quamuis enim grauiſſimo hæreſeos errore laboraret, verecundiæ tamen repagula non fregit: ſed vt ex Auguſtana confeſſione, quam ſcripſit & Imperatori obtulit

tulit, apparet, intra terminos modeſtiæ ſe cõtinuit. De illo à grauiſſimis auctoribus illud traditur, eum ſæpius, quamuis potius in Manichæorum partes propenderit, cum Luthero in congreſſum familiarem & colloquium veniſſe, ac tali oratione vſum fuiſſe. Anceps & ſuſpenſus hæreo, & ne in hoc, quod defendendum ſuſcepimus, puncto erremus pertimeſco: cui blande, & amicè Lutherus reſpondebat; iiſdem etiam anguſtijs, O Philippe, me circunſeptum video, & ſalebris impeditum aduerto: ſed tantus hoſtibus noſtris aditus nõ eſt aperiendus quo in nos impreſſionem faciant & irruant: potius hoc æquiſſimo Dei iudicio, qui falli non poteſt, examinandum mittamus. Cûm è vita abiero, tu quod rationi conſentaneum iudicabis, ſequere, & amplectere. Talia de Luthero & Melanchtone, Hoſius, Lindanus, Cochleus, Embſerus, & alij nõ vulgares viri ſcripſerunt. Norunt enim omnes Lutherum, vt iniuriam, quam ſibi à Pontifice illatam exiſtimabat, quocunque poſſet impetu vlciſceretur, ad impietatem ſuam diſſeminandam animum appuliſſe. Ex ore enim eius hæc vox ſæpius erumpebat: ſi ad auguſtæ Euchariſtiæ veritatem euertendam mihi occurrerent argumenta, ouans exultarem, & fractum animo & dolore perditum Romanum Pontificem contemplarer.

Sed vt ad generum Melanchtonis redeamus, eum quidem Romanæ religioni hoſtem fuiſſe, ſed veritate ſuperatum, ab anili & falſa hac nar- *6. Theodorus Beza in*

colloquio Poſsiaco hãc fabulam proponit.

narratione abſtinuiſſe exiſtimo. Quoties enim veritatem vulneribus confodere, & exanimare conamur: toties acrius eandē reſiſtere, & nouum robur iuduere videmus. Fractus quidem & debilitatus conſcientia ſcelerum Theodorus Beza, ſed nouo aduerſus veritatem odio inflammatus in colloquio Poſſiaco auſus eſt, vt ſuam orationem locupletaret, & legitimam ſummorum pontificum ſucceſſionem interruptam & interpellatam fuiſſe demonſtraret, meretricem hanc coram ampliſſimo & doctiſſimo totius orbis cœtu proponere. Ideo ex contaminatiſſimo hoc grege, quidam non minus in dicendo, quam in mētiendo impudens ſcripſit, patres illos ampliſſimos, ea vna re audita proſtratos & abiectos, pene mente concidiſſe: imo vero fixi immotique ſteterunt & illius declamatoris ſtultitiam irriſerunt, qui prauo vnius exemplo tametſi verum fuiſſet, omnium ſucceſſionem damnare vellet. Erat quidem, Patres ampliſſimi (ad vos enim ſermonem conuerto) iſtius audacia reprimenda, inſolentia coercenda, procacitas refrenanda, falſa hæc criminatio refutanda; ſed modeſtiâ, quæ vobis eſt ſingularis, clementiores quam par eſſet facti, illius tantum deformatam ſectam arguiſtis. Ita ſilentio ſatisfecerunt Catholici doctores, qui in concilio Conſtantienſi cū Huſſitis diſputabant. Cum enim hi in articulo ſuo 13. fæminæ iſtius mentionē feciſſent, illos reſponſione dignos minime putauerunt. Hanc, vt opinor,

nor, fabulā tanquam nullius momenti aſpernati huc & illuc per vulgi aures volitare permiſerunt. Alius quoque non defuit ingenio non vulgari, qui ſæpius hac fabula, tanquam altera gemma, ſcripta ſua voluit illuſtrare, ſed cum ad ſaniorem mentem redierit, & cum eccleſia, cum qua diu inimicitias geſſerat, pacem inierit, eum non nomino. Vtinam liber ſcelerati alicuius improbitate non perijſſet, quem paulo ante obitum ſcripſerat, quò & ſuum in veram religionem teſtabatur animum, & quos olim hæreſeos parens, genuerat filios, ad meliorem frugem hortabatur; quod ſi renuerent, tanquam flammis, diris, mortique æternæ deuotos execrabatur. Nec mirū; interioribus ſenſibus angebatur, & ſe eandē, quam Theodorus Beza, ignorantiam dedita opera affectaſſe cernebat, quam nulla ætas obliterare, nulla excuſatio minuere, nulla ratio delere poterat. Si eſt indecorū, vt bellè poſt ſapientem illum Thaletem vſurpauit Seneca, aliud eloqui, & aliud animo meditari, quanto indignius cenſebitur propriæ menti bellum indicere, & aliter quam animus ſentiat, ſcribere? Sed vt venuſtè cecinit Pindarus,

Αἱ δὲ φρενῶν ταραχαὶ
Παρέγαξαν καὶ σοφόν.

CA-

CAPVT VII.

1. *De nomine Ioannæ anceps diſceptatio.*
2. *Cuinam pontifici ſucceſſerit dubia narratio.*
3. *Aduerſariorum obiectionibus reſpondetur.*
4. *Innumeræ in hac fabula varietates cernuntur.*
5. *De natali ſolo Ioannæ ambigitur.*
6. *Nullus Anglus aut Germanus Pontifex Ioannes vocatus.*

1. *De nomine Ioannæ anceps diſceptatio.*

AD ineptias aduerſariorum & calumnias, quas confingunt refutandas, diſcors & diſſentiens non in vna ſola re, ſed in vniuerſa narratione opinio ſatis virium habere videtur. Miror autem vnam ſolam ex tam diuerſis ſententijs prodijſſe pſeudo pontificem, cum varias & inter ſe deſtinctas varij auctores depinxerint. A nonnullis ex tali loco orta tali nomine appellata, tali anno in demortui pontificis locum ſuffecta à tali Cardinali cōpreſſa fingitur: Ab alijs contraria omnia dicuntur, & affirmantur : & nemo aliquid de ea ſcripſit, qui aliquid nouum non excogitarit. Equidem in tam varia, & multiplici ſegete ſatis materiæ ad duodecim meretrices pſeudo-pontifices confingendas ineſſe reperio. Sed eorum diſſimilitudines, & varietates paucis inſpiciamus. Marianus, à quo tanquam à fonte hæc fabula defluxit, eam Ioannam nouo adinuento & innouato

uato vocabulo appellauit. Quorſum vero nomen quod antea ſolis maſculis imponebatur, ſola litera mutata ad mulierem detorſit?

Qui eam complectuntur opinionem ſibi adhuc non conſtant. Ioannē enim ſeptimum, quæ Leoni quarto ſucceſſerit, appellant: qua vita functa Benedictum tertium creatum pontificem affirmant. Iidem tamen auctores alterius Ioannis ſeptimi, qui anno ſeptuageſimo quinto pontificatum geſſerit, & longè à Leone quarto remotus fuerit, mentionem faciunt, & duos Ioannes ſeptimos, quod ridiculum eſt & inauditum, ſibi proponunt. Neque hoc vulgares & peruagati auctores dictitarunt, ſed qui primas inter eos partes facile ſibi vendicant. Itaque vt omnis ambiguitas tolleretur Ioannis octaui nomine hæc inſignis meretrix eſſet comprehendenda. Sciunt tamen omnes vel minimum in hiſtoria verſati Ioannem octauum omnium ore & laudibus celebratum, non Anglum, ſed ciuem Romanum fuiſſe, anno. 872. pontificatum adminiſtraſſe, & Adriano ſecundo ſucceſſiſſe. Qui vero lupam hanc & ſcortum inducunt, poſt Leonem quartum in ſummorum pontificum ſolio eam communi omnium conſenſione collocant: vnum ſolum excipio, cuius nomen ex veteri quodam libro à muribus corroſo diſcere non potui, qui eam Benedicto 3. ſucceſſiſſe contendit. Eum tamen librum in Germania, vt colligere & augurari licebat, prima

2. *Cuinam pontifici ſucceſſerit, dubia narratio.*

ipſa Typographiæ inuentione Impreſſum, à Frederico Foxio Candalæ Comite non minus literis quam armis claro acceperam, cuius mors luctuoſa ſuis, grauis omnibus bonis Galliæ vniuerſæ acerba fuit. Non defuiſſe tamen alios negarim, qui illi ad nutum & arbitrium alium locum tribuerint. Scorenbergus in Tragicomœdia, quam anno 1565. de ea inconcinnè & inſulsè ſcripſit, & ad Romanæ majeſtatis dedecus exhiberi curauit, eam cum Leone 5. coniungit. Alij poſt Martinum primum gubernacula Eccleſiæ tractaſſe cōmentantur.

5. Aduerſariorum obiectionibus reſpondetur.

Reliquum eſt, vt ad Ioannem octauum omnia eorum ſubterfugia referantur. Qua autem ratione hoc fieri poſſit, non video, cū omnium litteris & monumentis conſtet, hunc ſummū Pontificem omni & doctrinæ, & virtutis laude floruiſſe: ac, quod rarū eſt, tres Imperatores ſolenni pompa ſacraſſe auguſtoque diademate donaſſe. Baleus autem ne de ſuo deturbata loco meretrix eſſet, non hoc à Ioanne octauo, ſed à Ioannæ nono factum fuiſſe credit. Itaque hoc vnum eorum animos torquet, & maximè cruciat, vtrum Ioannis ſeptimi, aut Ioannis octaui nomen ſibi hæc mulier profligata vſurparit, & cuinam Pontifici ſucceſſerit. Vt autem quis ſe ab hac confuſa & perturbata nominum ſerie expediat, in tumultus, qui ſæpius in ſummorū pontificum creatione exorti ſunt, maxime eorum, qui Ioannis nomen ſibi delegerunt, totam

cul-

culpam transferet, aut hiſtoricis quibuſdam confuſionem hanc tribuet, quorum aliqui in Ioannam male animati eam ex ſummorum Pontificum numero exemerunt. Alij autem rumorem ſectati in catalogo repoſuerunt. Verum omnis hæc perturbatio, Ioannis duodecimi tempore nata eſt qui à Cardinalibus Leone creato Pontifice de ſua dignitate deturbatus, iterum Pontificatum occupauit, eumque quatuor menſibus adminiſtrauit. Quæ vna res, vt Lambertus illius ſæculi ſcriptor notauit, quibuſdam hiſtoricis anſam præbuit dicendi, non eundem Ioannem ſed duos diuerſos Pontifices fuiſſe. Ita quoque veritate adacti & compulſi Centuriatores Magdeburgenſes ſcripſerunt, & omnem hanc de Ioanna confictam fabulam hoc vno dicto damnarunt. Sic incauti in ſalebras & labyrinthum, ex quo ſe explicare, vel in cœnũ, è quo emergere non poſſunt, inciderunt.

Maiores adhuc occurrunt inter ſe pugnantes ſententiæ, quæ tam denſas animis noſtris tenebras offundunt, vt ne vel minima veritatis ſcintilla colluceat. Aliqui anno vno, menſe vno, diebus quatuor: nonnulli annis duobus, menſibus duobus, diebus quatuor. Alij annis duobus menſibus ſex; quidam annis duobus tantum, Plerique anno vno, menſibus quinque, diebus tribus. Non pauci quatuor menſibus ſolum, clauum huius ſacri magiſtratus tenuiſſe inter ſe digladiantur. Initium autem pontificatus aliqui auſpicantur

4. Innumeræ in hac fabula varietates cernuntur.

Digitized by Google

tur anno 854. multi 857. alij 858. nonnulli 904. Cum de ſucceſſione agitur, à varijs varia finguntur; hic Leoni quarto, alter Leoni quinto, alius Benedicto tertio ſucceſſiſſe cenſet. Nemo vnquam tam diuerſa, & multiplicia nomina ſibi arrogauit. Nunc Gilbertam, nunc Agnetem, nunc Margaretam, nunc Iſabellam, aut Iuttam, aut Dorotheam pro arbitratu ſuo vocant.

5. *De natali ſolo Ioannæ ambigitur.*

Quid de natali ſolo & prima illa educatione dicam? Educatam aliqui in Anglia, alij in Germania, plures Athenis contendunt. Quám varia autem circunferuntur de ijs qui eius pudicitiæ inſidiati ſunt? Familiari amicitia cum monacho Fuldenſi coniunctam fuiſſe, & libidinosè cum eo vixiſſe diuerſi aſſerunt, alij à iuuene quodam Anglo adamatam primo fuiſſe & corruptam, plerique à cubiculario prægnantem factam, quidam à Sacerdote ſcortatore, multi à Cardinale. De partu vero quam diuerſa fingantur, longum eſſet recenſere. Dum Miſſæ ſacrificio intereſſet peperiſſe aliqui ſcribunt. Alij in ſolemni omnium ordinum ſupplicatione, nonnulli dum in vrbe equitaret. De genere quoque mortis controuerſia non parua exoritur. Sund qui autument morte ſubita in ſummis partus doloribus exanimatam concidiſſe: ſunt qui in denſas carceris tenebras raptam exiſtiment. Qua autem via ad Pontificatum aſpirarit, & peruenerit diuerſe ſcribitur. Non deſunt, qui præſtigijs & magicis artibus, alij contra laudibi-

dibili vitæ genere, & incredibili ac propè diuina doctrina, qua vniuerſo orbi admirationem excitauit. Quam ambigua vero de patria & de parentibus ferantur, laborioſum eſſet colligere. Hanc Germanam quidam fatentur: Alij Anglam fuiſſe opinantur. Sunt qui fucato mendacio hæc velint conciliare: patrem enim aiunt habuiſſe Sacerdotem Anglum, quem omnium rerum luxuria, quem amores quem libidines occupatum impeditumque tenuerunt: natam tamen fuiſſe Moguntiæ in Germania. Quaſi vero Ioannes Hutichius, qui anno 1517. illius vrbis antiquitates memoriæ prodidit, hac noua ſupellectiſe librum ſuum non ornaſſet. Aliorum quidem pontificum parentes vt Lini, Cleti, Clementis, Anacleti, & ne longius excurrat enumeratio, omnium cæterorum, qui hac dignitate perfuncti sũt, in annalibus legũtur: iſtius autẽ tantũ pſeudo-Põtificis pater ignoratur.

6. *Nullus Anglus aut Germanus Pontifex Ioannes vocatus.*

Sed ad reliqua omnia delabamur. Auctor libri, qui Faſciculus temporum inſcribitur, facetè, inſipide tamen, ait cognomine proprio Anglam fuiſſe appellatã, quamuis Germaniam patriam habuiſſet, In odium autem tanti prodigij & monſtri, quod Germania tanquam altera Africa pepererat, eum morẽ, qui adhuc perſeuerat, inualuiſſe ſcribit, vt nemo, qui natale ſolum ex Germania duceret, ad Pontificatum eueheretur. Quid hoc vno dicto ſtupidius excogitari aut fingi poteſt?

Paulo poſt enim Damaſus ſecundus, & Victor ſecundus natione Germani ad Pontificiam dignitatem ſunt aſciti. Nam quemadmodum ex vniuerſis terrarum oris Cardinales ad ſacræ purpuræ honores deliguntur, ſic nulli nationi hæc auguſta Petri ſedes intercluditur. Duo huius Faſciculi temporũ penes me habeo exemplaria; alterũ ab Adamo Allemano anno 1480. typis excuſum, alterum ſine vlla temporum nota, ſine Typographi nomine, vetuſtis tamen & obſoletis characteribus impreſſum; quæ in hac vna re, quæ de pſeudo-pontifice iſta narratur, diſſentiunt; in reliquis omnibꝰ conueniũt. Hoc vero nõ aliũ de q̃, vel ex ignorãtia vel ex ſimplicitate, vel ex malitia eorũ, qui hunc librũ prælo ſubiecerunt, deriuatũ eſt: quibus viſum eſt, ſe egregiam nauare operam, ſi hoc cõmentum multorum auribus gratum insererent. Qui hanc cognomine Anglam vocatam fuiſſe dicat, præter hunc auctorem vidi neminem; cum aut natione Anglam aut Germanam peruagata & communis vigeat opinio. Verũ enimvero ſi pontificum eorum ſeriem percurramus, qui Ioãnis nomen ſibi ſumpſerunt, nullum è viginti quatuor in Anglia, aut Germania natum reperiemus. Primus fuit Tuſcus, ſecundus & tertius Romanus, quartus Dalmata, quintus Antiochenus, ſextus & 7. Græci? Octauus, nonus, decimus, vndecimus, duodecimus, decimus tertius, Romani; Decimus-quartus Patauinus, 15. & 16. Romani. 17. Græcus,

cus, 18. & 19. Romani. 20. Tuſcus. Vigeſimus primus Luſitanus, Vigeſimus 2. Gallus Cadurcenſis. Vigeſimus 3. & 4. Neapolitani. Vbi autem deliteſcit Ioannes, ex Germania aut Anglia oriundus? faceſſant igitur hi mendacij architecti, & qui præcipiti iudicio ad omnia feruntur: diſcant melioribus argumentis, ex quibus nulla emergat diuerſitas, quæ adinuenerunt ſomnia, confirmare. Nunquam tantùm olim Græci in Sybilla Hierophila cognoſcenda laborarunt, quam varijs nominibus appellarunt, Delphicam, Erythream, Siculam, Samiam, Rhodiam, Clariam, Arthemiſiam; quantum iſti in ſua Ioanna confingenda, quam Agnetem, Gilbertam, Dorotheam, nunc Anglam, nunc Germanam nominarunt. Et vt olim in contentionem honoris venerunt de Homeri natali ſolo, Colophon, Rhodos, Salamin, Argos, Smyrna, & Athenæ: ita & hi noui fabularum auctores, & principes, Germaniam, & Angliam de ortu huius pſeudo-pontificis ad pugnam & certamen prouocarunt.

CAPVT VIII.

1. *Prodigioſa & inſolita accuratius annotantur.*
2. *In nulla hiſtoria maior quam in hac varietas elucet.*
3. *Acutum Diogenis dictum.*
4. *Pontifices primis nongentis annis ex ciuitate Romana delecti.*

5. *Antiqua ad ſacros ordines Sacerdotes promouendi ratio.*

6. *Qui laici ad Eccleſiaſticas dignitates prouecti fuerint. Et de ſchiſmate Phocij.*

1. *Prodigioſa & inſolita accuratius annotantur.*

QVi fieri poteſt vt in re tam graui, & tanti momenti tot & tantæ naſcantur diſſentientes opiniones, quot & quantæ vix vnquam in re aliqua varie agitata exortæ fuerint? Quia vero ea omnia quæ raro emergunt accuratius à multis ſumma animorum conſenſione ſcribuntur, ideo huius facti antea inauditi prodigioſus euêtus ab omnibus, qui eum literis mandarunt, conſentientibus ſcriptis debebat explicari. Quemadmodum enim hi vultus qui à præſtanti & ingenua forma multum diſtant, omnium in ſe oculos conuertunt, qualis ille Therſite pedibus breuioribus, collo obtorto, humeris inclinatis, facie deformi apud Homerum ſingulos ad ſui contemplationem rapit; ſic inſignis huius fabulæ deformitas, omnium mentes attentiores tenere debebat, & rei nouitate efficere ne diuerſa figura varijs pingeretur. Vitia enim, à quibus plurimum abeſt Eccleſia, facilius omnium oculis exponuntur, & firmius mentibus impreſſa retinentur, quam virtutes. Hinc fit, vt ſi quid minus laudabile notatum ſit, & depræhenſum, ac in annales relatum conſentientibus narrationibus vario tantum dicendi genere, & ſtilo à varijs auctoribus commemoretur.

At

At nihil vnquam in Imperatorum, Regũ, Pontificum vitis ita diuerſe & varie narratum legitur, ſicuti hoc vnum commentum, in quo nec de nomine nec de tempore, nec de vita, nec de morte, nec de ſucceſſione huius pſeudo-pontificis quidpiam certi traditur. Indaganda tamen eſt veritas, vt ait Philoſophiæ princeps, in ijs, quæ vnius eiuſdemque ſunt generis & diſſimiles inter ſe refugiunt varietates. Sed quemadmodum Zeuxis Helenæ ſimulachrum picturus vt excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in ſe imago contineret, cum in vno corpore, quæ ad venuſtatẽ ſpectant, ſe reperire poſſe nõ exiſtimaret, ſelectiſſimas virgines ex tota Græcia conquiſitas ſibi ante oculos propoſuit: ex quarum intuitu ſinum, genas, oculos, collum, os, & ſingulas corporis partes, quas in ſimplici genere natura non expoliuerat, arte præſtantiſſima perfecit, & celebre illud ſimulachrum, quod magno pretio olim emptum, & Romam conſulatu Philippi Plinius teſtatur translatũ, ingenti omnium admiratione elaborauit: Ita & hi fingendi artifices, qui hanc Pſeudopontificẽ tanquam hermaphroditum pinxerunt, nulla, quæ ad hanc ornandam & locupletandam fabulam valere exiſtimabant, ornamenta prætermiſerunt. Hoc vnum tamen non præuiderunt, ſe tanto magis opus ſuum deturpare, & ſuſpectum reddere, quanto magis varietate colorum

2. In nulla Hiſtoria maior quam in hac varietas elucet.

Digitized by Google

illuminare contenderunt.

3. Acutum Diogenis dictum.

Et ſicuti olim Diogenes cum iuuenem quendam patrimonij decoctorem in taberna deprehendiſſet, cum is tanti viri repentino cõſpectu perterritus erubuiſſet, vt deliteſceret, ſe in tenebricoſos popinæ receſſus abdidit; ad quem Philoſophus ſic dicitur profatus, quanto celerius in interiora & ſecretiora domus fugis, tanto magis eris in popina, hoc eſt, tanto turpius tuam impudentiã prodis: Ita & hi pigmentarij dum fucorum & vnguentorum multitudinem ex omni Seplaſia venantur, ſuam Ioannam ſuſpectam omnibus teſtantur. Et quò ab illis frequentior de ea ſermo habetur; eò minus probabilis, & veriſimilis putatur. Itaque eorum erroris mihi imitari videntur, qui cum à ianua, vt dicitur, aberrarint, quanto longius progrediuntur, tantò latius ab ingreſſu remouentur. Eodem plane modo aduerſarij quoties ſe de ea re verius ſcribere & ſentire fatentur, toties à bonis omnibus prolixiora mendacij fila texere cenſentur.

4. Pontifices primis nongentis annis ex ciuitate Romana delecti.

Commentantur hanc iuuenili & florenti fuiſſe ætate cum primum Romam appulit, quæ tantam omnibus admirationem ingenerauit, vt è veſtigio totius Eccleſiæ caput & vertex deligeretur. Qui hoc noſtro tẽpore (quod verè aureum ob rara, ſingularia & prope diuina, quæ protulit ingenia, niſi bellorum æſtus tranquillitatem perturbaſſet, eſſet appellandum) ſummorum Pontificum Vitas

&

Digitized by Google

& mores diligentiſſima indagatione perſcrutati ſunt,hoc obſeruarunt, nullum primis illis fere nongentis annis in ſummũ pontificem delectum fuiſſe,qui non prius Romæ dignitate aliqua Eccleſiaſtica laudabiliter perfunctus fuiſſet, & quinquageſimum annum attigiſſet.Primus, qui his omnibus ornamentis deſtitutus ad eam dignitatem prouectus eſt,Formoſus fuit anno 890. Eo aditu ſemel patefacto(quæ eſt pervulgata & communis harum rerum inferiorum labes& macula) laudabilis ea conſuetudo intermortua concidit.Tandem vt audaciæ frænum inijceretur,& non vno ſed diuerſis ad tantum apicem gradibus aſcenderetur, religioſè ſancitum fuit,ne alicui ad pontificatum pateret via,qui prius in ſacro purpuratorũ Cardinaliũ collegio nõ vixiſſet. Eaq; vna excogitata ratione ſchiſmata,quæ antea,quando cuiuis ſine diſcrimine expoſitus ad hunc honorem erat aditus,late ſparſa fuerant,compreſſa sũt, & conſopita.Sed cum homines ſimul,& ſemper mundi huius aliquid ſapiamus, nondum vltimi,ne longius hæc mala honoris contentio euagetur, huic peſti decreti ſunt carceres,& termini.

Certum autem eſt non minori tunc legum ſacrarum reuerentia, quàm hac ætate ad gradus Eccleſiaſticos homines fuiſſe promotos. Tonſura qui primus aditus cenſetur erat neceſſaria,ad quam nemo ſpurius, nemo nothus, nemo incertis larib⁹,incertis parẽtibus, incerta patria admittebatur. Legitimo

5. *Antiqua ad ſacros ordines Sacerdotes promouendos ratio.*

erant orti matrimonio, qui crebantur præſbyteri, iiq́ue non vagi, & errantes; non tenuioris, & infimæ fortunæ homines, ſed qui ſe tantum ex patria & auita hæreditate poſſidere, aut ex beneficio ſibi collato, tantum ſingulis annis colligere teſtarentur, quantum ad vitam frugaliter & moderate ſuſtentandam deſideraretur. Quiſnam verò huius Pſeudopontificis pater, quæ mater? quænam eorum ſors an plebeia, an mediocris, an illuſtris, quã moderata, aut quam ampla eorum hæreditas? ſi hoc ſciant aduerſarij hoc aperient. Patrem Lini qui Petro ſucceſſit Herculanum, Cleti Æmilianum, Clementis Fauſtinum, Euariſti Iudam, Sixti Heluidium fuiſſe accepimus: iſtius tantum lupæ patrem ignoramus, cum reliquorum Pontificum parentes, eorum, & patriæ ſimul nomina ij qui de Pontificibus ſcripſerunt apertè tradiderint. Lubenter ab aduerſarijs peterem, à quonam Epiſcopo, & quo in loco ſacris ordinibus ſit initiata, quonam beneficio perfrueretur, quonam honore Eccleſiaſtico fungeretur, antequam ad Pontificatum proueheretur. Quaſi vero in ciuitate Romana peregrina & hoſpes fœmina nullorum patrocinio fulta, nullis antea honoribus perfuncta, nullius ope nixa contra antiqua ſacrorum conciliorum ſtatuta repentina ſuffragiorum acclamatione pontifex renuntiata fuerit? raro & vix vnquam in ciuitate totius orbis domina eſt viſum: idque quoties accidit toties turbulentæ ſeditionum

num procellæ excitatæ ſunt vt laici pontifices crearentur.

Primus Laicus, qui repente ad hunc apicem nullis antea gradibus præcurſis conſcendit, fuit Leo octauus anno 903. quæ res vt fuit orbi noua, ita & parum poſtea vſitata. Imo hoc inauditum & inſolitum fuit in Epiſcopis deligendis, quoſdam excipio, quos vitæ integritas, doctrinæ raritas, in rebus tractandis exercitatio ſatis ſuperque commendauit. Sic ſanctum Ambroſium Mediolanenſis Eccleſia, & diuum Germanum Altiſſiodorenſis clerus, cui templum Lutetiæ, Luparæ vicinum ſacratum eſt, ſibi in Epiſcopum delegit. Itaque cum Nicolai magni Epiſtolas, cui boni, & Pij nomen poſteritas conceſſit, & quem alterum Heliam Regino appellat, attentiùs peruoluerem, obſeruaui acerbè & grauiter inuehi in Phocium, qui Imperatoris auxilio ex laico Patriarcha Conſtantinopolitanus factus fuerat. *Hoc eſt*, ait ſingularis ille, & Dei, & rerum diuinarum cultor Nicolaus (quem impius Baleus, latronum, ſicarium, belluam feram & agreſtem, Antichriſtum ore blaſphemo nominat) *omnia ſacrorum conciliorum repagula frangere, ſtatuta reuellere, conſuetudines euertere.* Quaſi veriſimile ſit, Nicolaum illum magnum Pontificem auſum vnquã fuiſſe ita acriter & hoſtiliter Phocium inſequi, ſi hæc quæ de Ioanna dicuntur, cuius memoria florida adhuc eſſe debebat, & non intermortua, aliquam veri ſpeciem habuiſſent? Hoc non

6. *Qui laici ad Eccleſiaſticas dignitates prouecti fuerint & de ſciſmate Phocij.*

erat

erat tantum laicum , ſed laicam. Lupam omnibus voluptatũ cupiditatibus irretitam, abdomini ſuo natam, illecebris fractam, præſtigijs infamem, & ſi quid turpius , & acerbius dici aut cogitari poteſt, in venerando illo Petri throno collocare. Phocius, qui omnem ad opprimendam alienæ virtutis laudem, occaſionem captabat, graues & intolerabiles repræhenſionis aculeos, ſi ita res habuiſſet, pontificibus Romanis infixiſſet. Si enim auſus eſt perſonam calumniæ ſanctiſſimis patribus imponere, & criminationibus illorum famam obterere, eoque vno maxime poſtea crimine damnatus, pænas vt polixè recitat Illyricus, perſoluit; quo impetu putandum eſt, tantam turpitudinis ſegetem abrepturum fuiſſe , ſi hæc, quæ de Ioanna ſparguntur, contigiſſent? Nicolaus prudentia valebat, & hoc præcauiſſet: Phocius autem malitia, & omnes conuitiorum flammas euomuiſſet. Mens illius iam malè affecta atque ex dignitatis ſuæ oppreſſione ægrotans, non conficta, ſed vera conuitia contorſiſſet. Hoc vnum turpe facinus ſatis virium habebat, ad ſchiſma , quod inter Græcam & Latinam Eccleſiam inuexerat, defendendum. Tunc enim furorem violentum, & probra in Pontificem, qui eius Patriarchatũ damnauerat, petulanti ac maledica lingua effudiſſet. Etenim meretricis huius mores, libidines, & profuſæ illecebræ illi ſatis amplã ſyluam pontifices criminandi, & ſuam electionem tutandi præbuiſſent. Neque aliud vel

ſtabi-

ſtabilius ad memoriæ diuturnitatem, vel vehementius ad æternum diuortium, quod iam inter Orientis & Occidentis Eccleſias ſeminarat, retinendum, & ad augendum excogitari poterat. Hic eſt ille Phocius, in quem Adrianus Nicolai ſucceſſor, concilium generale Conſtantinopolim conuocauit, in quo eundem Phocium depoſuit. Hic vero cũ eſſet exulcerato animo, iniurioſiùs tractaſſet, ſuperbúſque pontificem appellaſſet, nec tanti ſcandali obliuio eum cepiſſet, ſi vel minima veritatis ſpecies huius erroris illuxiſſet. Vt erat ad inueniendum promptus, ad dicendũ acutus, ad conuitia torquenda vehemens, nũquam tantũ ſcandalum prætermiſiſſet. Plenæ ſunt orationes eius, quæ adhuc viuunt & legũtur, criminationib⁹, plenæ iniurijs, plenæ probris, in quibus ne vel minima huius turpitudinis nota exprimitur. Eodẽ tẽpore Imperatores Græci, quorũ factionib⁹ Phocius fauebat, in Romanã ſedem erant malè animati, tum quia Carolo Magno pontifices ſuffragati fuerant, & in Occidẽte imperatoriam maieſtatem erexerant; tum quia ſæpius in Conſtantinopolitanos gubernatores horrendum, vt teſtatur idem Nicolaus, anathematis fulmen iaculati fuerant. Nemo tamen fuit illa ætate, cui in mentem venerit hæc recens de Ioanna excogitata fabula.

CA-

CAPVT. IX.

1. *Hæc meretrix Athenas ſtudiorum gratia contendiſſe fingitur.*
2. *Athenæ eo tempore dirutæ.*
3. *Athenienſium bibliotheca conſeruata & auro redempta.*
4. *Athenarum calamitas & ſolitudo ex Syneſio.*
5. *Athenienſium natura laudis auida.*
6. *Anglia tempore huius fictæ Ioannæ hominum literatorum copia & delectu floruit*

1. *Hæc meretrix Athenas ſtudiorum gratia contendiſſe fingitur.*

OMnium ferè, qui hoc commentum propoſuerunt, ſcriptis patet Ioannam muliebri veſte depoſita adoleſcentis ornatum induiſſe, & non minus literarum, quam libidinis ſtudio inflammatam vnà cum monacho Anglo, qui in Fuldenſi cœnobio eius conſuetudine vſus fuerat, aut cum iuniore ſcholaſtico, qui à duodecimo anno eam familiariter adamarat, celeberrimum totius orbis Muſarum diuerſorium Athenas perijſſe. Scorembergus vero, qui à teneris vt dicitur vnguiculis huius meretricis mores perſpectos habuit, Lutetiæ laurea magiſterij inſignitam fuiſſe reliquoſque doctoratus gradus ſcribit conſequutam. Bocatius & Zuingerus omnes ſtudiorum ſuorum curſus in Anglia perfeciſſe, & quod in quouis diſci-

liſciplinarum genere abſolutiſſimum erat, mensam fuiſſe contendunt: ratio antem ipſa poſtulare videtur, vt his potius credamus, (ſi aliquibus tamen fides eſt adhibenda) qui incredibili animi celeritate in Athenienſi Academia linguam inaudita dicendi ſuauitate ornaſſe, pectus autem omni ſcientiarum apparatu repleuiſſe, cæteros ſtudioſos omni laudis genere ſuperaſſe aſſerunt. Qua in re imitata eſt Laſthemiam & Axiotheam, quæ Platonicæ eloquentiæ & philoſophiæ appetentes & cupidæ, more adoleſcentium Græcorũ pallium induerunt, & ita ſe callidè in reliquorum auditorum numerum inſinuarunt. Sed ſurdis, vt dicitur, fabulas non canunt; ſcimus enim à prima fundatione illius ciuitatis præſtantiſſimæ originem, incrementa, inclinationes varias, nouimus olim præclarorum ingeniorum fuiſſe nutricem, muſarum omnium iucundiſſimam ſedem, virtutum denique omnium matrem.

2. *Athenæ eo tempore dirutæ.* Eo tamen tempore, quo in ea fuiſſe Ioanna fingitur, ſolo adæquata hæc ciuitas, nihil priſtini ſplendoris præter antiquas ruinas, quarum vix veſtigia apparebant, obtinebat: eratque potius noctuarum, bubonum, nycticoracum & aliorum animalium diuerſoriũ, quam virorum literatorum domicilium. Varios enim diuerſæ fortunæ euentus experta eſt, qui eam ſæpius erectam inclinarunt, deiecerunt, perdiderunt. Muſæus ſuo operi, Sybillarum verſus inſeruerat, qui interitum

Vide Hieronymum epiſt. 3. cap. 5. Claudian. in Rufin. lib. 2. Aeneam

Caſeum in Theophraſto. ciuium, vrbis ſolitudinem, agrorum vaſtitatem augurantur: ſed cum diruta iaceret, fuit de integro à Xerxe & Liſandro in ſuum antiquum ornamentum reſtituta; & denuo aliquibus temporibus decurſis à Sylla funditus ferè euerſa. Ea tamen ætate, vt meminit Plutarchus, vix tenuem vmbram priſtini ſplendoris retinebat. Adrianus tandem imperator anno Domini 119. ruinas reſarciuit, & ædificijs, quæ proſtrata iacebant, exornauit, vt licet colligere ex antiqua inſcriptione, quæ adhuc hodie inter aggeres, & aceruos lapidum cernitur, cuius hic eſt ſenſus. Hæ autem ſunt Athenæ, Theſei ciuitas. Ab eo vero tempore Claudij ſecundi imperio Scythæ, quæ è ſeptentrione eruperant, & omnia clade vaſtabant, eam incenderunt, exciderunt, funeſtarunt. Hic vero locus hodie à Turcis Setina appellatur, & deſertus ſitu & váſtitate ſordet.

3. *Athenienſium bibliothecæ conſeruatæ & auro redemptæ.* Aliqui vero mihi obijcient, vt ſcribit Zonaras, libros qui plurimi in ea ciuitate ſeruabantur, non fuiſſe à Barbaris hominibus flammis deletos, ſed magna vi auri & argenti ab Athenienſibus redemptos, hocque de induſtria à feris hominibus conceſſum, vt Athenienſes potius ad literas, quàm ad arma tractanda nati, potius ad dicendum, quam agendum expediti, potius ad quietem, quam ad labores bellicos parati, aſſidua literarum tractatione occupati, otio & ſegnitie effæminatè di-

diſſuerent. Verum ab eo tempore Hunni, Gothi, Vuandali vniuerſum fere terrarum orbem ferro, cæde, incendio populati eò feritatis proceſſerunt, vt non dicam libris, ſed ne quidē lapidibus pepercerint, vt videre eſt apud Hieronymū. Quid putas inquit nūc animi habere Corinthios, Athenieſes cunctāque Græciam, quibus imperant Barbari? Idem & Claudianus obſeruat. Hæc eſt luctuoſa ciuitas, vt ait Chalcondylas ex ea oriundus, quam acres iniuriæ, perditorum hominum ſcelera, diſſidia, diuturna bella crudeliſſimè lacerarunt, & in qua tanquam in ampliſſimo orbis theatro funeſtam tragœdiam exhibuerunt. Vix eo tempore, quo Ioanna vixiſſe fertur, in Attica regione aliquis reperiebatur, qui Græci ſermonis peritus eſſet, qui nitorem illius attigiſſet, qui natiuum & ſponte fuſum dicendi genus ſciret, qui Solonis, Socratis, Platonis, Sophoclis, Ariſtotelis, Theophraſti & reliquorum, qui in ea ciuitate floruerāt, poſt tot clades recordaretur. Multis ante ſæculis, vt teſtis eſt Strabo, in ciuitate Athenienſi literarum ſtudia deferbuerāt, & in Maſſilienſi Academia totius olim Galliæ celeberrima diligentius tractabantur. Ea autem ætatate, quam proponunt aduerſarij, vniuerſa Græcia barbaria fædata nullum antiquæ ſuauitatis, & eloquentiæ veſtigium impreſſum retinebat. Ideo quo tempore Nicolaus Eccleſiæ præerat, imperator, vt Zonaras & Cedrenꝰ

Epiſt. 3. cap. 9. ad Heliodorum.

lib. 2 in Ruffin.

Digitized by Google

obſeruarunt, ſcholas iacentes, inclinatas in meliorem formam erexit, & tum Athenis, tum Conſtantinopoli ſtudia quanto potuit apparatu, inſtaurauit. Hæc vero Michaelis imperio anno 856. contigerunt, quo tēpore imo paulo ante Ioannam vitam cum morte commutaſſe fabulantur. Hunc (ait Cedrenus verba faciens de literis Athenis reſtitutis, Leonem Epiſcopatu deturbatum. Bardas ſcholæ Philoſophicæ præfecit. Idem Sergium Leonis diſcipulum Geometrico gymnaſio; & Theodegium itidem eius familiarem Arithmetico, & Aſtronomico ludo præpoſuit; largè is ſumptus ſuppeditauit; vtque erat ſtudioſus bonarum artium ſæpe ipſe quoque ſcholam frequentauit, alacritatem diſcentium ſuo exemplo confirmans. *Hunc igitur Bardas cum otium agentem inueniſſet, cæteris magiſtris præpoſuit, itaque effecit vt literæ efflореſcerent exiguoque tempore incrementa caperent.* Hoc pacto bonas literas inquit Cedrenus ante extinctas, ita vt ne veſtigium quidem earum aut ſcintilla extaret; breui temporis ſpatio ad magnam euexit amplitudinē.

Athenarum calamitas & ſolitudo ex Syneſio.

Syneſius qui longe ante tempora huius
4. fictæ Ioannæ literis & moribus floruit, in vltima quam ad fratrem ſuum ſcribit epiſtola, afflictas opes, famam ſopitam, perditam dignitatem, euerſum ſtatum florentiſſimæ olim totius Græciæ ciuitatis his verbis deplorat, & nautam qui eo appulerat grauiter increpat καὶ κακὸς κακῶς ὁ δεῦρο κομίσας ἀπόλοιτο

ναυ-

παύκληρος, ὡς οὐδὲν ἔχουσι αἱ νῦν Ἀθῆναι σεμνὸν, ἀλλ' ἢ τὰ κλεινὰ τῶν χωρίων ὀνόματα καὶ καθάπερ ἱερείου διαπεπραγμένου τὸ δέρμα λείπεται γνώρισμα, τοῦ πάλαι ποτὲ ζώου, οὕτως ἐνθένδε φιλοσοφίας ἐξῳκισμένης, λείπεται περινοστοῦντα θαυμάζειν τὴν Ἀκαδημίαν καὶ τὸ λύκειον, καὶ νὴ δία τὴν ποικίλην στοὰν τὴν ἐπώνυμον χρυσίππου φιλοσοφίας νῦν οὐκέτ' οὖσαν ποικίλην & paulo poſt ſubiungit αἱ δὲ Ἀθῆναι πάλαι μὲν ἦν ἡ πόλις ἑστία σοφῶν, τὸ δὲ νῦν ἔχον σεμνόνουσιν αὐτὰς οἱ μελιτουργοί.

Et hic deploratus & lamentabile huius Academiæ ſtatus, ad quam ex vltimis ferè terrarum oris Ioannam aduolaſſe, & literas didiciſſe egregij antiquitatis indagatores commẽtantur. Quid de Athenis loquor cũ vicinæ ciuitates eandem bellorum iniuriã & cladis acerbitatem ſenſerint? Quemadmodum annoſa quercus altis defixa radicibus, & ſi truncum ſecures impactæ detruncarunt, contra velut obnitens & vim vi repellens nouos idẽtidem ſurculos ac ſtolones protrudit & propagat: ſic res litteraria (ſuis) obliteretur & gliſcens & adoleſcens, diu multùmq; tot obluctata malis tandem eluctata eſt aliquando. Nã Plutarchus quidã an. à Syneſio ferè 50. collapſa iam philoſophiæ ſtudia rurſus erexit & excitauit. In huius locum ſucceſſit anno 480. Syrianus Alexandrinus. Hunc ſubſecutus eſt anno 1520. Proclus. Proclo Marinus, Marino Samaſſius, Samaſſio Simplicius ſucceſſit: his veluti fulcris ad annum vſq; quin-

De hac id temporis ſtadiorum in Græcia deſolatione vide Erricum Altiſſidorenſem, Præfation. ad Carolum Caluum de lita Germani.

Digitized by Google

huc aliquid illius ſplendoris Athenæ ſibi vendicabant, cur aliquis è tanto literatorũ hominũ numero, eum qui Ioannam tanta diſciplinarũ varietate excoluerat, cum immortalitate non adæquauit?

Athenienſis enim populus cum eſſet appetens, & auidus laudis, cæco ſui amore flagrabat, & omnia naturæ ingenijque inſtrumenta ad patriæ laudis iactationem conuertebat: gloriabatur enim aeris & cœli amœnitate, qua ciuitas inter omnes Græciæ vrbes perfruebatur, & ingeniorum acumine, quæ nunquam in ſola aliqua ſcientia conquieſcerent, ſed noua ſemper appeterent. Itaque eã Academiam fortunatam prædicaſſet, ex qua altera Minerua, quæ ad pontificatum perueniſſet, tanq̃ ex altero Iouis cerebro prodijſſet; huius oppido rei tã celebris ad ſuæ ciuitatis laudẽ & ad Eccleſiæ Romanæ ignominiam ſempiternã nobis aliqua reliquiſſet veſtigia. Verũ quis erit tã vecors, & amens qui ſibi perſuadeat hãc meretriculã, Germaniã, Angliam, Galliã, in qua celeberrima totius orbis literarum ſeminaria vigebãt, deſeruiſſe, Athenas in quibꝰ erat mira ſtudiorũ ſolitudo petijſſe? Nemo enim ignorat Carolũ. magnũ, qui è viuis exceſſit an. 815. & paulo anteq̃ hæc Ioãna ſtuduiſſe fingatur, imperauit, nobiliſſimas Academias in quibꝰ tũ Græca, tũ Latina eloquẽtia, tũ omniũ ſcientiarũ cumulata tractatio florebat, in Italia, Germania, & Gallia excitaſſe. Itaq; nõ erat nauis cõparãda, qua maria

5. Athenienſium natura laudis auida.

 tranſ-

tranſmitteret, ſed in locis patriæ finitimis remanendum.

6. Immò vero præcipuus literarum reſtitutor fuit Alcuinus in Anglia natus & ex ea accerſitus illius ſummi imperatoris præceptor, qui diſciplinarum tractandarum rationem renouauit, & inſtaurauit. Nec aliunde Chriſtianiſſimus ille Imperator viros eruditos accerſiuit quàm ex Anglia, maxime vero Ioannem & Claudium Rabanum, qui à venerabili Beda formati fuerant, ex cuius ſchola tanquam ex radice fœcundiſſima, anno 730. innumeri ſurculi prodierunt. Lógè vero antea, Conſtantini ſcilicet magni temporibus, qui Angliã natali ſuo die illuſtrauit, tota ea inſula viris literatis erat referta. Balduinus in libro quem de legibus Conſtantini ſcripſit, anno 342. in Anglia omnium celeberrimum collegium Bonochorenſe floruiſſe teſtatur, in quo ſupra duo ſcholaſticorum millia, qui Chriſtianæ philoſophiæ incumbebant, numerabantur. Itaque ſi hæc adoleſcentula ita auidè ad literarum ſtudium ferebatur, vt ſitim illam inexhauſtam expleret, parata in patria habebat gymnaſia, & nulla remota in alienas terrarum oras peregrinatio erat ei ſuſcipienda. Cum autem Baleus qui hanc fabulam noua rerum acceſſione adauxit, eam tanquam alteram Medeam in omnibus præſtigijs verſatam fuiſſe, & magicas artes docuiſſe, & librũ de his compoſuiſſe aſſerat, diu multumque in decantata illa turri Toletana ſtuduiſſe dicere

Anglia tempore huius ficta Ioannæ hominum literatorum copia & delectu floruit.

de-

debebat. Theodorus vero Scombergus, veritus ne ſi Athenas eam amandaret, parum rationi conſentanea recenſeret, Lutetiæ literis dicit operam dediſſe, & doctoratus, qui ſummus ea ætate, & rarus erat honor, palmam reportaſſe. Nulla itaque eſt perſona, quam in ampliſſimo huius orbis theatro ſuſtinendam, hi fabularum magiſtri huic mulierculæ non imponant. Nunc eam intra priuatos lares delitescentem, nunc alienas prouincias percurrentem, & vniuerſam Europam peragrantem, nunc verecundam, nunc pudore exhauſto profuſam, nunc caſtam & integram, nunc libidinibus eneruatam inducunt. Dum autē agreſtes, & turpes ideas animo, & cogitatione architectantur, otio, quo ſummo abundant, turpiſſimè abutuntur, & fruſtra mentes noſtras ad hæc figmenta credenda pertrahere conantur.

CAPVT. X.

1. *Nullus hiſtoricus qui tempore Ioanne vixerit de ea loquitur.*
2. *Qui paulo poſt illius ætatem floruerunt nihil de ea ſcripſerunt.*
3. *Pontifices calumnijs & diuerſis fortunæ expoſiti fuerunt.*
4. *Quinam ſummis pontificibus Ioannæ tempore fuerint infenſi.*

5. & 6. Libelli iniurijs & falſis criminationibus pleni in ſummos Pontifices ſparſi.

1. Nullius hiſtoricus qui tempore Ioannæ vixeris de ea loquitur.

1\. OMnes qui eadem ætate, qua Ioanna vixiſſe fertur, hiſtoriæ ſcribendæ induſtriam ſuam conſecrarunt, aut alijs libris exarandis operam nauarunt, ne vel exigua huius fictæ imaginis lineamenta poſteritati reliquerunt. Quod tamen à natura hiſtoricorum lōgè abhorret, quorum ars præcipua cenſetur præclara quæque catorthomata colligere, prodigioſa, quæ ſuis temporibus contigerunt recenſere, omnia denique, quæ ad poſteritatem propagandam valent, diligenter notare. Tantum abeſt vt quæ in omnium geſta ſunt oculis, obliuione voluntaria velint obruere: quin etiam ſi eorum animi res impendentes & futuras poſſent perſpicere, eaſdem, vt veri augures haberentur, prænunciarent. Neque enim Prometheum imitantur, qui cum Mineruæ auxilio in currum Solis abreptus, cæleſtem illum ignem clepſiſſet, & mortalibus intuliſſet, furtum diſſimulauit, quod poſteri ſcriptis diuulgarunt: ſed potius vt primam palmam referant, alios anteuertunt. Moleſtū autem & faſtidioſum eſſet, ſingulos, qui in eo ſæculo ſcripſerunt, enumerare: quoſdam tātū celebriores attingere, meo eſt propoſito magis conſentaneum. Præcipui itaque qui Leonis 4. & Benedicti 3. pontificatu, hoc eſt ab anno octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo,

mo, ad annum octingenteſimum quinquageſimum octauum vitam propagarunt, & Ioannæ huius præpoſteram & portentoſam electioné accepiſſe ab alijs, aut vidiſſe potuerũt, hi cenſentur. Rabanus Maurus Fuldenſis cœnobij abbas, quo in loco hanc adoleſcentulã virginitatis naufragium feciſſe confingunt, Strabus, cuius ſocium primas eius libidines prægustaſſe ferunt. Haimo qui bellum virtutum, & vitiorum compoſuit, Anaſtaſius bibliothecæ Vaticanæ præfectus, qui Leonis 4. & Benedicti 3. à ſecretis fuit amanuenſis, cui & multorum negotiorum difficilium tractatio, & ad Conſtantinopolitanum concilium legatio fuit demandata. Eadem quoque ætate ſcripſerunt Theophanus Freculphus, qui ab orbe condito vſque ad ſua tempora hiſtoriam protraxit, Aimonius ſancti Germani monachus celebris hiſtoricus Gallus, Ado archiepiſcopus Viennenſis hiſtoriæ ſcriptor, Luitprandus, Lãbertus, Lupus Seruatus, Ademarus, Leo Archidamus, qui cum Græcorũ ſuorum gratiam aucuparetur, in Eccleſiæ Romanę odium, & cælibatus inuidiam, de ſacerdotum matrimonio multa diſſeruit. Horum omnium libros à capite ad calcem peruoluite, diſcutite, notate, & ſi in aliquã huius Pſeudo-pontificis memoriam incideritis, eam ex antiquis ruinis eruite. Sed obmuteſcitis, cum nullum tale monumentum ex veneranda antiquitate decerpere poſſitis.

Pau-

Paulo poſt verò vixerunt Ioannes Diaconus, qui anno octingenteſimo ſeptuageſimo vitas pontificum percurrit, Milo monachus anno octingenteſimo ſeptuageſimo primo, Paſſeratius Rabertus anno octingenteſimo octuageſimo primo, Almanus an. octingenteſimo nonageſimo, Regino an. nongenteſimo decimo, cuius Chronicon celebriora quæuis, quæ tempore huius excogitatæ Ioannæ euenerunt, paucis complectitur, Hermanus Contractus, qui ſex mundi ætates ad ſuam vſque in chronica digeſſit, Conradus abbas qui anno milleſimo centeſimo Coloniæ volumina multa ſcripſit, Otho Friſingenſis anno milleſimo centeſimo quinquageſimo & Abbas Vſpergenſis qui chronicorum auctor ijſdem annis floruit. Hi vero omnes & multi alij Itali, Germani, Galli, quorum nomen excepit immortalitas, in omnibus alijs recenſendis fuerant ſatis copioſi, in hoc vero vno portento, quod nondū orbis vidit, muti & elingues.

2. *Qui paulo poſt illius ætatem floruerunt nibil de ea ſcripſerunt.*

Suos quoque eodem tempore ſibi vendicauit Anglia hiſtoricos, & viros literatos, quos in gratiam aduerſariorum, & huius Anglæ meretricis perſtringam. Gildus quartus vixit anno octingenteſimo ſexageſimo, Burgardus Dorceſtrius anno octingenteſimo ſeptuageſimo, Nectus Adulphus eodem anno, Ioannes Erigena, qui ſcriptorum multitudine celebratur anno octingenteſimo octuageſimo quarto, Aſſerinus Manebenſis anno octingenteſimo nonageſimo, Alphredus mo-

nus

gnus Rex Angliæ,qui eadem ætate qua Ioanna floruiſſe dicitur,libros varios ſcriptis mādauit.Hic eſt qui triginta annis ſumma felicitate eam inſulam rexit,cuique Adrianus ſecundus huius fabuloſæ pſeudo-pontificis ſucceſſor coronam & diadema regium, & Polidorus Virgilius obſeruauit, merito conceſſit. Hic Balei impudentiam taceo, qui hanc Pſeudo-pontificem diadematis ampliſſimum honorem in gratiam patriæ, Angliæ regibus largitam fuiſſe mentitur.Poſſem hic alios hiſtoricos, quos ſagax ille venerandæ antiquitatis indagator Pithæus,ex abditis receſſibus in communem lucem reuocauit, recenſere; contentus ero vno,qui ab anno ſeptingenteſimo decimo quarto,ad annum octingenteſimum octuageſimum tertium resgeſtas complectitur,vitas pontificum proſequitur, & omnia quæ eo tempore contigerunt, perſcrutatur. In tanto tamen opere cum reliqua diligenter attigerit,ne verbum quidem de hac Ioanna,tanquam de re nunquam audita & viſa facit.In eodem autem natali ſolo in quo Ioanna nata fingitur, verſabatur,& nunquam patriam, ſi tantam fœminam protuliſſet,laude deſponſa ſpoliaſſet.

3. *Pontifices calumnijs & diuerſis fortunæ telis expoſiti fuerunt.*

Sed quid diutius in tanta auctorum multitudine colligenda immoror? ad eos mea properat oratio,qui odij, & inuidiæ flammis æſtuantes,eadem ætate in pontifices,quæcunque potuerunt probra,congeſſerunt. In eorū numero fuerunt, aut qui propter ſcelera,à Pon-

Digitized by Google

nus Imperator, qui eadem libertate, quaſcunque potuit excogitare criminationes honori pontificio obiecit. Quamuis autem horum ſcripta perierint, iniurias tamen quas Apoſtolicæ ſedi inurebant, ex multorum piorum hominum eruditis reſponſis licet colligere. Cogebantur enim eaſdem referre, dũ ſigillatim vnamquamque refutando euertere conabantur; Eodem plane modo quo hac noſtra tempeſtate auctores Catholici, dum hæreticorũ obiectiones diluunt eas inuiti repetũt, ita & hi calumnias falſo pontificibus impoſitas, libris ſuis inſeruerunt.

Sed non ſoli hi fuerunt qui ſumno Pontifici ſuccenſi ſunt. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, aliquantulum à modeſtiæ finibus receſſit; & liberius, quam ratio poſtulaſſet, de eo eſt obloquutus, ad eum quoque exercitum ſe adiunxerunt Theodorus Nicus, qui Othonis imperatori factionem eſt amplexus, Vltramus Epiſcopus Norimbergenſis, qui Henrici quarti partes eſt ſequutus, & ab hæreticis tantopere decantatus fictus ille Benno Cardinalis, qui Lutheranorum arte & induſtria, ipſo tam peſtiferæ hæreſis naſcentis exordio, vt latius in capite decimo ſeptimo noſtri Anti-chriſti monſtrauimus, tanquam ſi hæc ſcripſiſſet, in lucem prodijt. Alterum quoque vetuſtum auctorem manibus triui, qui anno tantum 1520. in prælum venit in quo nihil præter conuitia

5. & 6. Libelli iniurijs & falſis criminationibus pleni in ſummos pontifices ſparſi.

in

in Gregorium ſeptimum impiè contorta reperias. Hic nihil dico de eo, quem Auentinus Conradum nominat, cuius petulantia plus æquo in eundē Gregoriū exarſit. Taceo Nicolaū qui an. milleſimo, quinquageſimo, furorē violentum in Leonē Pontificē effudit. Silentio prætereo Petrum Amianum, & Othonem epiſcopum Conſtantienſem, qui eodem tempore eandem labefactare dignitatem conati ſunt. Quam acerbæ vero vtriuſque fuerint calumniæ apud Nauclerum legitur, in quo modeſtum Leonis reſponſum expreſſum habetur. Nec defuerunt poetæ, qui omnem maledicendo quæſierunt voluptatem, & nouum ignem atque inuidiæ flammam ampliſſimo ordini ſubiecerunt. Eorum alter à Vincentio in ſpeculo hiſtoriali Heidebergus vocatur, qui anno milleſimo centeſimo decimo quinto, ſatyrica quædam in pontifices carmina ſparſit; Alter Theodorinus, qui iiſdem ſanctiſſimis patribus anno milleſimo centeſimo vigeſimo, ſempiternam vitæ turpitudinem infligere fruſtra tentauit. Rupertus Epiſcopus Anglus à Pontifice anathemate percuſſus, & à corpore Eccleſiæ diuulſus ira excandeſcens, vt iniuriam quam ſibi factam exiſtimabat, maledictis compenſaret, quæcunque potuit excogitare conuitia eſt ementitus. Impuro quoque ore alter Anglus nomine Matheus Pariſienſis, omne iniuriarū genus conflauit. Ante hos vero Petrus Bruiſius anno milleſimo, contumeliis eandē dignitatem operi-

re

re atque opprimere ſtuduit. Nolo tacitus prætermittere Ioannem Saborienſem, qui anno milleſimo centeſimo quinquageſimo, librum quem inſcripſit obiurgatorium cleri, omni calumniarũ fece plenum diuulgauit. Nihil de Hunnonio Auguſtodunienſi, qui anno milleſimo centeſimo vigeſimo, turpiſſimis dictis flagitijſque pontificum vitam infamem reddere, incaſſum laborauit. Nihil de Ioachimo Calabro, cuius nobilitata calumniãdi audacia omnium ore celebratur, in præſentia loquor: hi omnes communi cõſpiratione facta quaſcunque potuerunt fingere criminationes, clariſſimis hominibus obiecerunt. Horum vltimus, qui reliquos maledicendo ſuperare viſus eſt, anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo viuebat. Hic Vualdenſium temerariam audaciam, & oblatrandi conſuetudinem taceo, quorum fragmenta, è quibus tanquam ex veteribus ruinis è tenebris erutis, noſtræ ætatis hæretici ad nouæ religionis ædificium conſtruendum lapides extraxerunt, in medium non profero. Nihil de Vuicleffiſtis dico, quorum petulantia nullos ſibi modeſtię terminos pręſcripſit, vt quiuis ex catalogo Illyrici Flacci, & ex faſciculo rerum expetendarum, & fugiendarum ab Orthuino Gracio concinnato & Coloniæ impreſſo perſpiciet. Extat adhuc Synodus quædam Rhemis habita anno 991. quam Illyricus libro ſuo inſeruit, noua mendaciorum ſuppellectile amplificauit, in qua quorun-

Digitized by Google

tranſmitteret, ſed in locis patriæ finitimis remanendum.

6. *Anglia tempore huius ficta Ioannæ hominum literatorum copia & delectu floruit.*

Immò vero præcipuus literarum reſtitutor fuit Alcuinus in Anglia natus & ex ea accerſitus illius ſummi imperatoris præceptor, qui diſciplinarum tractandarum rationem renouauit, & inſtaurauit. Nec aliunde Chriſtianiſſimus ille Imperator viros eruditos accerſiuit quàm ex Anglia, maxime vero Ioannem & Claudium Rabanum, qui à venerabili Beda formati fuerant, ex cuius ſchola tanquam ex radice fœcundiſſima, anno 730. innumeri ſurculi prodierunt. Lógè vero antea, Conſtantini ſcilicet magni temporibus, qui Angliã natali ſuo die illuſtrauit, tota ea inſula viris literatis erat referta. Balduinus in libro quem de legibus Conſtantini ſcripſit, anno 342. in Anglia omnium celeberrimum collegium Bonochorenſe floruiſſe teſtatur, in quo ſupra duo ſcholaſticorum millia, qui Chriſtianæ philoſophiæ incumbebant, numerabantur. Itaque ſi hæc adoleſcentula ita auidè ad literarum ſtudium ferebatur, vt ſitim illam inexhauſtam expleret, parata in patria habebat gymnaſia, & nulla remota in alienas terrarum oras peregrinatio erat ei ſuſcipienda. Cum autem Baleus qui hanc fabulam noua rerum acceſſione adauxit, eam tanquam alteram Medeam in omnibus præſtigijs verſatam fuiſſe, & magicas artes docuiſſe, & librũ de his compoſuiſſe aſſerat, diu multumque in decantata illa turri Toletana ſtuduiſſe dicere de-

debebat. Theodorus vero Scombergus, veritus ne ſi Athenas eam amandaret, parum rationi conſentanea recenſeret, Lutetiæ literis dicit operam dediſſe, & doctoratus, qui ſummus ea ætate, & rarus erat honor, palmam reportaſſe. Nulla itaque eſt perſona, quam in ampliſſimo huius orbis theatro ſuſtinendam, hi fabularum magiſtri huic mulierculæ non imponant. Nunc eam intra priuatos lares delitefcentem, nunc alienas prouincias percurrentem, & vniuerſam Europam peragrantem, nunc verecundam, nunc pudore exhauſto profuſam, nunc caſtam & integram, nunc libidinibus eneruatam inducunt. Dum autẽ agreſtes, & turpes ideas animo, & cogitatione architectantur, otio, quo ſummo abundant, turpiſſimè abutuntur, & fruſtra mentes noſtras ad hæc figmenta credenda pertrahere conantur.

CAPVT. X.

1. *Nullus hiſtoricus qui tempore Ioanne vixerit de ea loquitur.*
2. *Qui paulo poſt illius ætatem floruerunt nihil de ea ſcripſerunt.*
3. *Pontifices calumnijs & diuerſis fortunæ expoſiti fuerunt.*
4. *Quinam ſummis pontificibus Ioannæ tempore fuerint infenſi.*

5. & 6. Libelli iniurijs & falſis criminationibus pleni in ſummos Pontifices ſparſi.

1. *Nullus hiſtoricus qui tempore Ioannæ vixerit de ea loquitur.*

OMnes qui eadem ætate, qua Ioanna vixiſſe fertur, hiſtoriæ ſcribendæ induſtriam ſuam conſecrarunt, aut alijs libris exarandis operam nauarunt, ne vel exigua huius fictæ imaginis lineamenta poſteritati reliquerunt. Quod tamen à natura hiſtoricorum lōgè abhorret, quorum ars præcipua cenſetur præclara quæque catorthomata colligere, prodigioſa, quæ ſuis temporibus contigerunt recenſere, omnia denique, quæ ad poſteritatem propagandam valent, diligenter notare. Tantum abeſt vt quæ in omnium geſta ſunt oculis, obliuione voluntaria velint obruere: quin etiam ſi eorum animi res impendentes & futuras poſſent perſpicere, eaſdem, vt veri augures haberentur, prænunciarent. Neque enim Prometheum imitantur, qui cum Mineruæ auxilio in currum Solis abreptus, cæleſtem illum ignem clepſiſſet, & mortalibus intuliſſet, furtum diſſimulauit, quod poſteri ſcriptis diuulgarunt: ſed potius vt primam palmam referant, alios anteuertunt. Moleſtū autem & faſtidioſum eſſet, ſingulos, qui in eo ſæculo ſcripſerunt, enumerare: quoſdam tātū celebriores attingere, meo eſt propoſito magis conſentaneum. Præcipui itaque qui Leonis 4. & Benedicti 3. pontificatu, hoc eſt ab anno octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo,

mo, ad annum octingenteſimum quinquageſimum octauum vitam propagarunt, & Ioannæ huius præpoſteram & portentoſam electioné accepiſſe ab alijs, aut vidiſſe potuerũt, hi cenſentur. Rabanus Maurus Fuldenſis cœnobij abbas, quo in loco hanc adoleſcentulã virginitatis naufragium feciſſe confingunt, Strabus, cuius ſocium primas eius libidines prægustaſſe ferunt. Haimo qui bellum virtutum, & vitiorum compoſuit, Anaſtaſius bibliothecæ Vaticanæ præfectus, qui Leonis 4. & Benedicti 3. à ſecretis fuit amanuenſis, cui & multorum negotiorum difficilium tractatio, & ad Conſtantinopolitanum concilium legatio fuit demandata. Eadem quoque ætate ſcripſerunt Theophanus Freculphus, qui ab orbe condito vſque ad ſua tempora hiſtoriam protraxit, Aimonius ſancti Germani monachus celebris hiſtoricus Gallus, Ado archiepiſcopus Viennenſis hiſtoriæ ſcriptor, Luitprandus, Lãbertus, Lupus Seruatus, Ademarus, Leo Archidamus, qui cum Græcorũ ſuorum gratiam aucuparetur, in Eccleſiæ Romanę odium, & cælibatus inuidiam, de ſacerdotum matrimonio multa diſſeruit. Horum omnium libros à capite ad calcem peruoluite, diſcutite, notate, & ſi in aliquã huius Pſeudo-pontificis memoriam incideritis, eam ex antiquis ruinis eruite. Sed obmuteſcitis, cum nullum tale monumentum ex veneranda antiquitate decerpere poſſit.s.

Digitized by Google

2. *Qui paulo poſt illius ætatem floruerunt nihil de ea ſcripſerunt.*

Paulo poſt verò vixerunt Ioannes Diaconus, qui anno octingenteſimo ſeptuageſimo vitas pontificum percurrit, Milo monachus anno octingenteſimo ſeptuageſimo primo, Paſſeratius Rabertus anno octingenteſimo octuageſimo primo, Almanus an. octingenteſimo nonageſimo, Regino an. nongenteſimo decimo, cuius Chronicon celebriora quæuis, quæ tempore huius excogitatæ Ioannæ euenerunt, paucis complectitur, Hermanus Contractus, qui ſex mundi ætates ad ſuam vſque, in chronica digeſſit, Conradus abbas qui anno milleſimo centeſimo Coloniæ volumina multa ſcripſit, Otho Friſingenſis anno milleſimo centeſimo quinquageſimo & Abbas Vſpergenſis qui chronicorum auctor iiſdem annis floruit. Hi vero omnes & multi alij Itali, Germani, Galli, quorum nomen excepit immortalitas, in omnibus alijs recenſendis fuerant ſatis copioſi, in hoc vero vno portento, quod nondũ orbis vidit, muti & elingues. Suos quoque eodem tempore ſibi vendicauit Anglia hiſtoricos, & viros literatos, quos in gratiam aduerſariorum, & huius Anglæ meretricis perſtringam. Gildus quartus vixit anno octingenteſimo ſexageſimo, Burgardus Dorceſtrius anno octingenteſimo ſeptuageſimo, Nectus Adulphus eodem anno, Ioannes Erigena, qui ſcriptorum multitudine celebratur anno octingenteſimo octuageſimo quarto, Aſſerinus Manebenſis anno octingenteſimo nonageſimo, Alphredus m[illegible]-

[illegible]nus

Digitized by Google

gnus Rex Angliæ,qui eadem ætate qua Ioanna floruiſſe dicitur,libros varios ſcriptis mãdauit.Hic eſt qui triginta annis ſumma felicitate eam inſulam rexit,cuique Adrianus ſecundus huius fabuloſæ pſeudo-pontificis ſucceſſor coronam & diadema regium, & Polidorus Virgilius obſeruauit, merito conceſſit. Hic Balei impudentiam taceo, qui hanc Pſeudo-pontificem diadematis ampliſſimum honorem in gratiam patriæ, Angliæ regibus largitam fuiſſe mentitur.Poſſem hic alios hiſtoricos, quos ſagax ille venerandæ antiquitatis indagator Pithæus,ex abditis receſſibus in communem lucem reuocauit, recenſere; contentus ero vno,qui ab anno ſeptingenteſimo decimo quarto,ad annum octingenteſimum octuageſimum tertium resgeſtas complectitur,vitas pontificum proſequitur, & omnia quæ eo tempore contigerunt, perſcrutatur. In tanto tamen opere cum reliqua diligenter attigerit,ne verbum quidem de hac Ioanna,tanquam de re nunquam audita & viſa facit.In eodem autem natali ſolo in quo Ioanna nata fingitur, verſabatur,& nunquam patriam, ſi tantam fœminam protuliſſet,laude deſponſa ſpoliaſſet.

Sed quid diutius in tanta auctorum multitudine colligenda immoror? ad eos mea properat oratio,qui odij, & inuidiæ flammis æſtuantes,eadem ætate in pontifices,quæcunque potuerunt probra,congeſſerunt. In eorũ numero fuerunt, aut qui propter ſcelera,à Pon-

3. Pontifices calumniis & diuerſis fortunæ telis expoſiti fuerunt.

nus Imperator, qui eadem libertate, quaſcunque potuit excogitare criminationes honori pontificio obiecit. Quamuis autem horum ſcripta perierint, iniurias tamen quas Apoſtolicæ ſedi inurebant, ex multorum piorum hominum eruditis reſponſis licet colligere. Cogebantur enim eaſdem referre, dũ ſigillatim vnamquamque refutando euertere conabantur; Eodem plane modo quo hac noſtra tempeſtate auctores Catholici, dum hæreticorũ obiectiones diluunt eas inuiti repetũt, ita & hi calumnias falſo pontificibus impoſitas, libris ſuis inſeruerunt.

Sed non ſoli hi fuerunt qui ſumno Pontifici ſuccenſi ſunt. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, aliquantulum à modeſtiæ finibus receſſit; & liberius, quam ratio poſtulaſſet, de eo eſt obloquutus, ad eum quoque exercitum ſe adiunxerunt Theodorus Nicus, qui Othonis imperatori factionem eſt amplexus, Vltramus Epiſcopus Norimbergenſis, qui Henrici quarti partes eſt ſequutus, & ab hæreticis tantopere decantatus fictus ille Benno Cardinalis, qui Lutheranorum arte & induſtria, ipſo tam peſtiferæ hæreſis naſcentis exordio, vt latius in capite decimo ſeptimo noſtri Anti-chriſti monſtrauimus, tanquam ſi hæc ſcripſiſſet, in lucem prodijt. Alterum quoque vetuſtum auctorem manibus triui, qui anno tantum 1520. in prælum venit in quo nihil præter conuitia

5. & 6. Libelli iniurijs & falſis criminationibus pleni in ſummos pontifices ſparſi.

Digitized by Google

re atque opprimere ſtuduit. Nolo tacitus prætermittere Ioannem Saborienſem, qui anno milleſimo centeſimo quinquageſimo, librum quem inſcripſit obiurgatorium cleri, omni calumniarũ fece plenum diuulgauit. Nihil de Hunnonio Auguſtodunienſi, qui anno milleſimo centeſimo vigeſimo, turpiſſimis dictis flagitijſque pontificum vitam infamem reddere, incaſſum laborauit. Nihil de Ioachimo Calabro, cuius nobilitata calumniãdi audacia omnium ore celebratur, in præſentia loquor: hi omnes communi cõſpiratione facta quaſcunque potuerunt fingere criminationes, clariſſimis hominibus obiecerunt. Horum vltimus, qui reliquos maledicendo ſuperare viſus eſt, anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo viuebat. Hic Vualdenſium temerariam audaciam, & oblatrandi conſuetudinem taceo, quorum fragmenta, è quibus tanquam ex veteribus ruinis è tenebris erutis, noſtræ ætatis hæretici ad nouæ religionis ædificium conſtruendum lapides extraxerunt, in medium non profero. Nihil de Vuicleffiſtis dico, quorum petulantia nullos ſibi modeſtię terminos pręſcripſit, vt quiuis ex catalogo Illyrici Flacci, & ex faſciculo rerum expetendarum, & fugiendarum ab Orthuino Gracio concinnato & Coloniæ impreſſo perſpiciet. Extat adhuc Synodus quædam Rhemis habita anno 991. quam Illyricus libro ſuo inſeruit, noua mendaciorum ſuppellectile amplificauit, in qua quo-

 run-

rundam Pontificum, maxime vero Ioannis & Bonifacij mores perſtringuntur? *O deplo-randa Roma*, ait apud Illiricum Synodus, *quæ nobis clara lumina ante oculos poſuiſti, nunc in obſcuriores tenebras nos conijcis quarum poſteritati relinquetur memoria, Leones & Gregorios habuimus multis virtutibus conſpicuos: quid de Gelaſio & Innocentio dicemus quorum ſapientia & eloquentia omnem mundanam exuperat Philoſophiam? narratio nimis prolixa eſſet eorum qui doctrina totum orbem compleuere, ſed quid in hoc ſæculo non vidimus?* Reliqua prætermitto: quæ ſi quis curioſius velit indagare, Illyrici catalogum percurrat. Quaſi vero hi omnes maledicendi artifices, qui pontificum vitam à pueritia inſpexerunt, & omnia conuitiorum genera in eos contorta collegerunt, hanc vnam Ioannam Pſeudo-pontificem omnibus vitijs contaminatam, in qua exultare & triumphare poterat oratio, ſilentio inuoluiſſent. Nec eos ignorare potuiſſe rem in omnium oculis poſitam, in publica luce geſtam, in vrbe omnium celeberrima factam putandum eſt. Quid enim oculis eorum, vt ait Plutarchus, qui inimicitias exercent, perſpicacius? Dantes ille tota Italia decantatus poeta, qui alterius Virgilij inſtar, inferorum deſcriptionem longa narratione eſt proſequutus, dum loca ea abdita, & tenebris obruta percurrit, monſtra perſtringit, ſcelerum auctores, qui pœnis cruciantur, recen-ſet,

ſet, nunquam hanc nouam Proſerpinam prætermiſiſſet, ſi in terris aliquando fuiſſe & Pontificatum turpiter geſſiſſe reſciuiſſet. Si enim temere (cum de nullo male ominari debeamus; & ſoli Deo, cuius voluntas ſuprema nos latet, iudicium æterni ſupplicij ſit concedendum) in ſuo poemate Ioannem, & Bonifacium inter ſceleratorum greges igni addictos repoſuit, hanc quoque cum illis annumeraſſet, ſi vel leuiſſima coniectura vixiſſe aliquando aſſequutus fuiſſet. Itaque cum hi omnes ſcribendi principes, quorum alij hæretici, alij ſchiſmatici à corpore Eccleſiæ diuulſi, alij anathemate ſeparati, alij Imperatoriarũ factionum propugnatores acerrimi fuerunt, quæcunque odium ſuggeſſit, in pontifices ex omni vitæ præteritæ campo collecta probra turpiter euomuerint, & multa, ſumma arte confinxerint, nihil autem de Ioannæ pontificatu, in quo fædior macula quàm in reliquis inherebat, dixerint, ſapienter exiſtimandum eſt, quæcunque de ea poſtea diuulgata ſunt, poſterorum hæreticorum fraude fuiſſe excogitata.

CAPVT XI.

1. *Sacroſancta ſedes Apoſtolica omni ſæculorum memoria hoſtibus varijs expoſita fuit.*
2. *In tanta aduerſariorum turba vix aliqui reperti qui prioribus ſæculis de Ioanna ſcripſerint.*
3. *Paſtoris parum honeſti mores ad religionem euertendam parum poſſunt.*
4. *Mulieres ſexum virilem ementitæ monaſticam vitam, & togam interdum amplexæ ſunt.*
5. *De Bearnenſi ſchiſmate.*

1. *Sacroſancta ſedes Apoſtolica omni ſæculorum memoria hoſtibus varijs expoſita fuit.*

TAm copioſa ſceleratorum multitudo, quæ vario ſcriptorum genere ſedis Apoſtolicæ famam lacerauit, nec Catholicis terrorem afferre, nec hæreticis audaciam, & inanem victoriæ ſpem debet ingenerare. Simili enim detractorum grege, omnibus emergentibus ſæculis dæmonum officinæ abundarunt, qui non dicam corruptæ & contaminatæ vitæ, ſed ſummæ integritatis & pietatis Catholicos omnibus calumniarum telis inſectati ſunt, diuina prouidentia, quæ ſapienter omnia moderatur, id permittente, vt virtus laceſſita clarior, & reportatus de calũnia triumphus illuſtrior eluceret. Illi quidem omnes, qui eò inuerecũdiæ progreſſi ſunt, vt liberiori ſtylo in Apoſtolicam ſedem debac-

cha-

charentur, pictores parum in ſimulachris ela borandis peritos æmulati ſunt, & nihil aliud præterquam ſuæ turpitudinis, & inertiæ notam ſempiternam prodiderunt. ſed virtuti hoc innatum eſt, vt in eam tanquam ad ſcopum propoſitum, omnium ſceleratorum tela dirigantur. Quæ enim à plebeia & populari laude remota ſunt, & in altiori quodam gradu collocata, aſperiori inuidorum hominum lingua hoſtiliter appetuntur. Equidem vereor ne ſatietatem, & nauſeam pariam, cum toties eandem telam retexam, & hoc ad cauſſæ noſtræ certiſſimam victoriam plurimum valere iterum repetam. Veriſimile non eſſe tam acres pontificij nominis aduerſarios, tam vberem ad debacchandum ſegetem, tam latum ad detrahendum, campum, tam oportunam ad genus omne veneni euomendum occaſionem præterijſſe, ſi in ficta hac hiſtoria vel minimum veritatis fundamentum depræhendiſſent. Vt enim morbus cum incipit ingraueſcere debiliores corporis & membrorum partes inuadit, & quemadmodum qui Achillem interemit, cum in toto corpore omnes aditus ad vulnus infligendum intercluſos videret, ad alteram pedis calcem ſagittam emiſit, & non ſecus qui grauioribus machinis locum aliquem munitum diuerberat, partes infirmiores, in quibus nec altius deffoſſi terræ hiatus, nec crebre aſſurgentes turres, nec frequenter erecta & oppoſita propugnacula appareant, omni ſitu perluſtrato deli-

deligit: Ita calumnia quæ illuſtriorum virorum nomini tanquam arces oppugnat, quæcunque criminationi patere, & expoſita eſſe videt, impetu quantum poteſt maximo inuadit.

2. *In tanta aduerſariorũ turba vix aliqui reperti qui prioribus ſeculis de Ioanna ſcripſerint.*

Si hæc autem in Apoſtolica ſede ruina aparuiſſet, libera incurſione hoſtes in eam irrupiſſent, & meritò dedecus pontificio nomini inuſiſſent. Sed cum tanta animorum cõſenſu, tanto voluntatum ſuffragio quaſi coniuratione inita, tam diuerſi, & in tam remotis terrarum oris nati auctores, hique in ſupremum pontificem male animati hanc calumniæ paleſtram & arenam non deſcenderint, in qua ampliſſima pugnandi proponebatur copia, rationi conſentaneum videtur aſſerere, nullam illo ſæculo tanquam rei quæ nondum excogitata fuerat, Ioannæ memoriam in hominum mentibus defixam fuiſſe. Si autem aliqui hoc factum nouum & inſolens ſcribendum ſuſcepiſſent, non deffuiſſent ea ætate literati aliqui Catholici quorum copiam Eccleſia ſemper ſibi vendicauit, qui tã impudentis mendacij famam ne latius ſerperet, ipſo primo ortu repreſſiſſent. Nec exiſtimandum eſt corruptelam & ignorantiæ labem ita omnium animis inhæſiſſe, vt omnia Reipublicæ Chriſtianæ membra peſtis ardor inuaſerit. Tam altum igitur & diuturnum, quo hi omnes vſi fuerunt, ſilentium, etiamſi nulla alia ad hanc cauſſam tuendam nobis ſuppeterent argumenta, aduerſario-

rum

rum fraudes & technas ſatis prodit. Tam cãdidæ vero ea tempeſtate erant hominum mentes, vt aliquid prætermiſiſſe de induſtrio facinus, veritatem diſſimulaſſe ſcelus, poſteritati impoſuiſſe ludibrium putarent.

Quemadmodum enim medicorum ægri- 5.
tudines, pharmacorum, quæ præſcribunt, vires non eneruant; ſic antiſtitum & pontificum minus compoſita viuendi ratio, in veræ & Catholicæ religionis dedecus redundare non debet, & fidei auitæ infamiæ maculam inurere. Suauiſſimus quidem, ſed qui omnes admirabili harmonia ad ſe rapit, concentus eſt, cum nulla in verbis, nulla in factis labes apparet, ſed hæc duo communi cognatione deuincta ſibi mutuo reſpondent. Verum ſicuti ex vitæ integritate religionis ſinceritas & fundamentum non pendet: ita ex praua viuendi conſuetudine eiuſdem macula non eſt petenda: hanc quidem ſcandalum, illam autem ædificationem proximis parere nemo inficiatur. Feliciſſima eſſet Chriſtianorum conditio, ſi religionis vis, & robur, Eccleſiaſticorum paſtorum, vel vitæ honeſtate, vel eiuſdem turpitudine tanquam baſi certiſſima inniteretur. Alienis & peregrinis non eget adminiculis fides, ſed ſuo pondere fulta ſtat, & reliquarum virtutum eſt fundamentum firmiſſimum. Si autem ea, quæ de hac re à Theologis, & antiquis patribus copioſè ſunt diſputata velle in præſentia

Paſtoris parum honeſti mores ad Religionem euertendam parum poſſunt.

tia attingere, in immenſum creſceret oratio, & terminos ſibi præſcriptos egreſſa longius vagaretur. Sed vt vnde effluxit, eò ſe recipiat, quid eſt quod auctores illos priores ab hac quam aduerſarij fingunt hiſtoria ſcribenda potuit deterrere, & retardare? An religionis iactura? at nulla imminebat: an pontificiæ maieſtatis imminuta auctoritas?

At nulla inde ampliſſimo omnium honori turpitudo inhærebat; An rei inſolens nouitas? At hæc ſola ratio ad ſcribendum eos compellere debebat. Neque enim ſacras eas virgines, quæ muliebri ſtola abiecta, & virili toga ſumpta, ſexum alium ementitæ, inter ſacros & medios monachorũ greges caſte vixerunt. Nobis enim ante oculos propoſuerũt, Euphroſinem, Marinam, Theodoram, Pelagiam, Eugeniam, & formoſiſſimam illam ac caſtiſſimam Anaſtaſiam, quæ & generis nobilitate, & diuitiarum amplitudine ornata, cum ardẽtius, & turpius à Iuſtiniano Auguſto expeteretur, vt laqueos ſibi paratos effugeret, virili amicta veſtitu, ſe in vaſtiſſimam Aegypti ſolitudinem recepit. Quamuis autem hæ omnes, in locis ab omnibus arbitris remotis, longo tempore delituerint, eas tamen virtus ipſa, & vitæ integritas tandem aliquando omnibus ſpectandas prodidit: hæc autem ſola Ioanna, quæ ſemper in publica hominum luce, & communi conſortio eſt verſata, potuit tandiu incognita deliteſcere, & in ea vrbe, in qua nihil eſt tam abditum, quod à pruden-

4. Mulieres Sexum virilem emẽtitæ monaſticam vitã & togam interdum amplexæ ſunt.

tiori-

tioribus non deprehendatur, non ſolú priuata longo temporis ſpatio degere, ſed clauum tenens in puppi ſedere? Hoc rudioribus fortaſſis, & cæcis omnino, non in hiſtoria verſatis, & cordatis hominibus perſuadebunt. Scimus enim ſuperioribus annis hanc à Lutheranis excogitatam fuiſſe in ſocietatem Ieſu calumniam, & totâ Germaniâ ſparſam, quæ breui nullo fulta adminiculo corruit. Finxerunt adoleſcentulam quandam, ardenti eiuſdem Societatis Ieſu deſiderio captam, virilem togam induiſſe vt in eam admitteretur, maximis precibus contendiſſe, admiſſam denique aliquibus annis in tyrocinio vixiſſe, & vterum geſtantem depræhenſam fuiſſe. Quam primum autem hic rumor percrebuit non ſecus ac adulterina pecunia, in qua nec germana imago impreſſa eſſe elucet, nec verum aurum, & argentum emicat, omnium ore falſus eſt iudicatus, & citius quam fax ardens aquis immerſa extinctus. Tota enim accuſatio ab illius ſocietatis præpoſito generali ad imperatorem delata, deinde ad ſummum Senatum, vt de ea, cauſſa diligenter examinata, ſententiam ferret, tranſmiſſa, omnium qui adfuerunt ſuffragio, illius ſocietatis homines innocentes ſunt declarati. Sed aduerſarijs, etiamſi verum non ſit, vltro demus, mulierem fraudibus, quibus plurimum potuiſſe confingunt, & virtutis adumbrata ſpecie, qua omnium in ſe animos pellexiſſe excogitant, ſummum potificatum occupaſſe, & in eo aliquot

annos ſediſſe; quæ tamen inde in electores, qui trita & peruagata via incedebant & dolos non dicam augurari, ſed ne quidem ſuſpicari poterant, calumniæ labes redundaret? Quamuis autem hoc, quod nunquam contigit, eueniſſe concederemus, non tamen ita intolerabile & inauditum videtur, ſicut quod in omnium oculis, ſummo bonorum omnium dolore, proccelloſo hoc ſæculo geſtum eſt. Ex Gebennēſi enim cloaca noui eruperūt homines, qui Catharos antiquos illos hæreticos æmulati, ſibi Puritanorum, Euangeliſtarum reformatorum, inſignia nomina arrogarunt, eoque Reginas quaſdam & principes fœminas, quas in ſuas partes ſuaui verborum aucupio pertraxerunt, inſaniæ & inſolentiæ adegerunt, vt nullum, præter ſeipſas, Eccleſiæ caput in ſuis prouincijs eſſe iactarent, & profanum ac diuinum imperium confuſo quodam aceruo miſcerent. Huius rei ampliſſima teſtimonia Anglia ſuppeditabit, quæ penes Reginam rerum tum ſacrarum, tum ciuilium ſummum imperium eſſe contendit.

6. *De Bearnēſi ſchiſmate.* Hoc & Bearnenſes Pſeudo-miniſtri vno ore clamant, qui olim pijſſimæ, & clementiſſimæ reginæ & principi perſuaſerunt, vt à vera fide deficeret, & edicto publico anno 1571. ſancito ſibi ipſi pontificiarum adminiſtrationem vſurparet. Nolo hic leges, quas promulgauit, ſacrarum rerum vaſtitatem, antiquam totius illius prouinciæ euerſam Religionem ora-

Digitized by Google

oratione perſequi. Quam primum autem filius eius Henricus, matre vita functa, Prouinciæ gubernacula ſuſcepit tractanda, ſeueritate illa legum abrogata, mitius ſe cum catholicis geſſit, & non in Bearnenſi quidem ſolo, ſed in locis vicinis, (ne tumultus aliqui ab hæreticis excitarentur) ſacri audiendi, & Euchariſtiæ frequentandæ liberam copiam omnibus permiſit. Cum autem ſummo Dei beneficio, & magna bonorum omnium gratulatione, ſeditiones in tota Gallia excitatas compeſcuerit, hoſtes crebris prælijs fregerit, humanitate multos, qua plurimum valet, ſibi deuinxerit, vniuerſumque Galliæ regnum iure hæreditario ſibi deſponſum ſubegerit, (& quod omnium fortunatiſſimum puto) in Eccleſiæ Romanæ aſylum ſe receperit, ſperamus paternam & auitam illam comitum Focenſium, & principum Bearnenſium pietatem æmulaturum, cultumque verum deperditum reſtauraturum. Feliciſſimum autem tam pio operi dedit initium, cum anno 1600. in tota Bearnenſi Prouincia Catholicis & verbi diuini audiendi, & ſacris operandi fecit poteſtatem.

Catho. Apoſt. et Rom. religio reſtituta eſt pijs Bearnenſibus edicto regio ab anno 1600.

Itaque (ô Rex) qui totius Chriſtiani orbis oculos rerum geſtarum magnitudine in te, tanquam in verum militaris laudis & peritiæ exemplar, conuertiſti, qui non tantum ſanguinis Regij nobilitatem ex præclara magni illius & ſancti Ludouici ſtirpe traxiſti, ſed virtutum non minus quam Regni po-

potentiſſimi hæres, mores eius amplexus, fidei auitæ integritatem ſuſcepiſti; qui ex multis trophæis immortalitatem nominis reportaſti, ad reliquorũ triumphorũ, qui pene innumeri ſunt, cumulum, hoc vnum, quod omnes boni expetunt, præclare factum adiunge: Antiquæ, inquam, religionis auguſtiſſima ſigna & venerandæ crucis ſacra vexilla, quæ nullus vnquam reuellere audeat, in omnibus Bearnenſis Prouinciæ locis defige. Cũ vero diuinitus diuturna illa bellorum ciuilium incendia extincta ſint, & pacata Gallia tuum imperium amplectatur, collectis in vnum agmen viribus, Aſſyriam, Paleſtinam, Meſopotamiam, Iudæam quam maiores tui olim armis ſubegerunt, ouans & triumphans aggredere; loca illa ſancta, ad quæ vniuerſus Chriſtianus orbis pietatis gratia confluebat, ab impijs Turcarum manibus eripe, ciuitatẽ Sanctam veteribus colonis Gallis reſtitue. Equidem famam repentinum tuum aduentum per vniuerſas orientis oras ſpargere, omnia terrore complere, tumultu miſcere, videre videor; ipſamque Bulgariam, Peloponeſum, Dardaniã rerũ à te geſtarũ magnitudine perculſã contremiſcere. Nobilis illa & omnium ore commendata Conſtantinopolis Imperatorum olim Græcorum arx ſedes tuis copijs expugnata, impetus tuos non retardabit; ſed longiùs progreſſus Boſphoro ſuperato Armeniam, Capadociam, Pamphiliam vtramque Aſiam aduerſarijs fractis

ac

ac debilitatis ad tuum imperium adiunges, & ab AEgeo mari ad vltima & remota Euphratis littora latè imperabis. Hi te triumphi expectant, hæc te laudis ſeges manet, hæc te gloria præſtolatur. Tui eſt muneris, & Eccleſiæ, & ſedi Apoſtolicæ, tam diuerſas prouincias, tot populos, tam ampla regna, quæ vel hæreſeos tetra labes contaminauit, vel latè ſerpens Mahumetis error infecit, iterum adiungere. Vtinam aſtra ita tuo diademati ſuauiter influant, tuis cæptis faueant, tuis conatibus arrideant, vt omnibus CHRISTIANI nominis hoſtibus debellatis, ouans & triumphans perpetua ſæculorum memoria celebreris! Vtinam te duce priora illa, & aurea ſæcula renaſcantur, in quibus non tantum rei militaris, qui tibi debetur ampliſſimus, ſed pietatis, & literarum, quæ gloriam religioſi nominis tui, cum omni poſteritate adæquabunt, prope extinctus ſplendor reuiuiſcat! vtinam & meis, & bonorum omnium votis ſuperi annuant, qui te tanquam alterū Conſtantinum nobis diuinitus datum, aut nouum Theodoſium cælitus conceſſum diu, & florentiſſimo huic Galliarum regno, & Eccleſiæ incolumem conſeruent. Itaque cum ſis ramus, qui nulla temporum iniuria marceſſet, ex antiqua illa Chriſtianiſſimorum regum radice decerptus, Eccleſiæ primogenitus, inter reliquos reges facile princeps, virtutum ſatus, & pietatis fructus vniuerſo orbi, qui te vnum admiratur, ſuauiſſimè impertire.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XII.

1. *In Anglia omnia immutata.*
2. *Quo tempore Chriſti fidem Anglia ſuſceperit.*
3. *Quomodo & quas ob cauſas ab Eccleſia deſciuerit.*
4. *Iuſiurandum, quo in Anglia Eccleſiaſtici ſe obſtringunt.*
5. *In ſummis anguſtijs fortunata Gallia.*
7. *Quam latè pateat pontificis poteſtas.*

1. *In Anglia omnia immutata.*

SED vt potentiſſimum Galliarum Regem, ad quem orationem conuerteram, miſſum faciam, ad inſtitutum me reuoco. Itaque de portento, quod aut viſa, aut inaudita, ac ficta monſtra ſuperat, in præſentia loquar. Norunt omnes, qui in Anglia res geſtas memoria recolunt, tantum miniſtrorum quorundam artes ad animum muliebrem natura leuem & fluctuantem inflectendum potuiſſe, vt infelicisſimæ reginæ perſuaſerint, nullum præter ipſam, in poſterum toto eo regno Eccleſiæ caput eſſe nominandum & agnoſcendum. Iam enim à multis annis, eam tanquam pontificem venerantur, illi in omnibus Eccleſiaſticis negotijs obſequuntur, & quod omnium turpiſſimum iudico, ſalutem animorum illius imperio tractandam committunt. Nihil autem in nouo illo pontificatu niſi agreſte, & ferinum depræhenſum eſt; pyræ & ignes ad bonos concre-

concremandos excitati ; gladij ad Catholicorum ceruices amputandas omnibus in locis diſtricti ; laquei ad piorum interitum parati; noua tormentorum genera adinuenta; ampliſſima patrimonia haſtæ ſubiecta, & bona proſcripta. Voces adhuc eorum, qui inſontes pereunt, tota Anglia perſonant, & nullus in tanto Chriſtianorum principum numero, qui eis ſuppetias ferat, reperitur. Tentaſſe quidem videntur aliqui tantum negotium, ſed potius priuata, quam inde ſperabant, vtilitate incitati, quàm afflicta miſerorum hominum fortuna, aut religionis reſtaurandæ gratia commoti. In alienis enim calamitatibus, vt olim Michael Hoſpitalius Galliæ Cancellarius dixit, Lachryma cito areſcit, & exterorum res aduerſæ facile recordationem noſtram prætervolant. Sed Deus hanc ſibi vindictam, quam digna animaduerſione exercebit, iuſtus ſcelerum inueſtigator, atque vltor reſeruauit. Lenta quidem eſt & tarda illius ira, & pedes Dei, vt antiqui finxerunt, lanei videntur, ſed tandem aliquando, quamuis ſero, auctores ſcelerum comprehendit, & vt Homerus cecinit, Diphtheram Iupiter, in qua vniuſcuiuſque impreſſa cernuntur peccata, tandem aliquando attentius inſpicit.

Quamuis autem Angliæ regnum, inſtar nauis varias temporum viciſſitudines expertũ fuerit, & nunc in alto tempeſtatibus agitatum fluctuarit, nunc pacatũ & tranquillum fue- *2. Quo tempore Chriſti fidem Anglia ſuſceperit.*

fuerit, fidem tamen auitam & Catholicam, ſarctam & tectam iam à mille annis conſeruarat, & ab eo tempore, quo ſummus ille pótifex Gregorius, vt Inſulam eam ab Idololatria verum Dei cultum reuocaret, Auguſtinum, & Melitum è ſacra Benedictinorum familia miſerat, nunquam à vera religione defecerat. Sed paucis, perturbata illius prouinciæ antiqua iura inſpiciamus, & quam nobis obijciunt, pontificatus muliebris calumniam in ipſos retorqueamus. Iniuriam enim partibus noſtris facerem, ſi ab hoc domeſtico & familiari exemplo ſuperſederem. Parcam tamen regiæ, quæ à Deo deriuatur, maieſtati, & quanta potero modeſtia, ne in deos videar arma mouere, nudam rei geſtæ ſeriem commemorabo.

3. *Quomodo et quas ob cauſas ab Eccleſia deſciuerit.*

Quo tempore Maria, quæ ſapientiſſimo Cardinalis Poli conſilio omnia gerebat, Angliæ imperabat, Zuingliana hæreſi, quæ Edoardo regnante radices in multorum animis egerat penitus extirpata, fides catholica antiquo ſplendori reſtituta florebat: ſed Maria primo ipſo iuuentutis flore immatura morte extincta, Eliſabeta ſoror, quæ arcta cuſtodia, & carcere detinebatur, è vinculis liberata regiam dignitatem occupauit. Qui vero regni negotia ante adminiſtrarant, ad primos honores aſpirabant, & rerum ſuarũ ſtatum firmum non videbant, ac aditus ad vltionem, quam animo deſignabant, intercluſos putabant, ſi pontificis Romani auctoritas mo-

men-

mentum & pondus,quod ſemper antea apud Anglos habuerat maximum, obtineret. Itaque Elizabetæ perſuadent, periculum præſentiſſimum imminere, ne regno excidat, carceri iterum mandetur; amici omnes fortunis & honoribus ſpolientur; niſi quamprimum à Romanæ Eccleſiæ obedientia deficiat. Adiungunt inſuper matrimonium Annæ Bolenæ,è qua nata fuerat,& Henrici patris à Pontifice irritum,& nullum declaratum, vtpote ſuperſtite adhuc Catharina Hiſpaniarum regis filia coniuge legitima initum; futurumque,vt nunquam Pontifex diploma, quo ipſa Eliſabeta ex adulterio progenita declarabatur,contrario reſcinderetur. Hoc etiam addunt, pontificem partibus Hiſpanorum, quorum potentiam formidabat,amicitiam colebat,opes & auxilia expectabat, ſuffragaturum. Denique hanc quaſi vltimam machinam admouent, Henricum ſecundum Galliarum regem potentiſſimum pro viribus, quibus multum poterat,tentaturum, vt regina Scotiæ adoleſcentula adhuc & Franciſco filio deſponſa, cui maxima cum regibus Angliæ ſanguinis neceſſitudo intercedebat, illius regni clauum tractandum ſuſciperet.

Itaque quemadmodum & reliqui principes quaſcunque poſſunt imperiorum conſeruandorum & amplificandorum vias inueſtigant,eaſque dummodo vtiles ſint, honeſtas putant,& cum TurcisChriſtiani nominis ho- 4. *Iuſiurandū quo in Anglia Eccleſiaſticiſe obſtringunt.*

Digitized by Google

ſtibus truculentiſſimis amicitiam inire, fœdus iurare, imo (quod omnium turpiſſimum iudico) annua tributa perſoluere dedecori non vertunt; Sic Eliſabeta ſuorum conſilijs impulſa, cum pontificem ſibi ſubiratum placari poſſe diffideret, pace cum hæreticis hominibus coagmentata, & Catholicæ religioni, & pontificię auctoritati vale dixit, patrijſque veſtigijs inhærens penes ſuum imperium res omnes Eccleſiaſticas eſſe, quæ tamen nullum cum auctoritate regia affinitatis vinculum habent edicto publico ſanciuit. Inuidiæ autem flammæ, quæ inter Gallos & Hiſpanos exarſerunt, & maxima bellorum incendia excitata, Angliæ regnum quod alioquin bello concidiſſet, ereptumque illi, legitimæ hæredi redditum fuiſſet, in hæreſi confirmarunt. Itaq; hæretici in eam curam primo incubuerunt, vt primo ipſo regni & pontificatus nefandi exordio, Epiſcopi & reliqui Eccleſiaſtici principes viri, hoc ſoléni iureiurando inuiti etiam ſe obſtringerent. *Teſtor, iuro, & palam prædico, in Reginæ arbitrio, & nutu ſummam non tantum rerum prophanarum, ſed ſacrarum & Eccleſiaſticarum adminiſtrationem ſitam & collocatam eſſe, & à nullo alio ſiue antiſtite, ſiue Principe in quauis cauſa huius inſulæ curationem pendere. Eamq; ob cauſam reliquas iuriſdictiones, gubernationes, & auctoritates execror.* Hæc eſt præclara iuriſiurandi forma, in qua miro artificio hoc verbum (Eccleſię caput) omnibus ſemper hæreticis odioſum & infenſum, ſubticetur.

Poſt-

Poſtquam vero aliqui Antiſtites potiús abdomini, quam gregi ſibi à Chriſto tradito, curãdo nati, publicè contaminato ore hoc votum emiſerunt, ad eorum partes maximus factus eſt populi concurſus, cuius ingenium eſt, vt ait Herodotus, inſtar Simiarum ad principũ mores æmulandos ſe inflectere, & nunc has, nunc alias, quas pro temporum varietate in regibus elucere vident, viuendi conſuetudines, vt ad Arcadium quoq; Syneſius ſcribebat, induere. Quamprimum Conſtantinus ille magnus Chriſti doctrinam eſt amplexus, è veſtigio vniuerſi orbis, ad veram fidem facta eſt acceſſio. Paucis vero interpoſitis annis, vt ait D. Hieronymus, ingemuit ſe Arrianum vniuerſus orbis, cum Conſtantius Arrianorum religionem eſt profeſſus: cũ verò infortunatum illud Romani imperij buſtum Iulianus Chriſtianã veritatẽ deſeruit, repente copioſus plebis grex Apoſtatam ſequutus imperatorem, ad inanem Deorum cultũ aduolauit

Hic Galliam fortunatam prædicabo, & Gallorum conſtantiam admirabor, qui fidei auitæ amantiſſimi, nunquam principum virorum peregrinam religionem æmulati ſunt Vltimis his temporibus, cum Henricus quartus nondum depoſita hæreſi, quam cum nutricis lacte hauſerat, in medio armorum ſtrepitu regno Galliæ ſucceſſiſſet, ac hoſtes ſæpius dimicando fregiſſet, vix vnum aut alterum, qui hæreſim amplecteretur, in tanta nobilium, qua circunſeptus erat turba, inuenit.

5. *In ſummis Anguſtiis fortunata Gallia.*

Imo (quod rebus ita compoſitis ſperandum non erat) multi Caluiniſtæ, hique viri militares in Eccleſiæ Catholicę gremium ſe receperunt. Sed hoc, & ſingulari Dei beneficio, cuius bonitas huic florentiſſimo Galliarum regno latè ſemper patuit, & Henrici quarti, quę illi innata eſt, humanitati acceptum referre debemus. Anglia autem adeo excæcata fuit, vt Eliſabetæ Reginæ præpoſterum & inſanū conſilium amplexa, à ſede apoſtolica defecerit. Felicior tamen Gallia, quæ incredibili æquanimitate & patientia, vt Henricus ad Eccleſiâ Roma. vero cultu prægustato paulatim rediret aliquot annos expectauit, & de eo tādem inſignem, ille vero nobiliorem de ſe ipſo, victoriam reportauit. In tanta vero rerum Anglicarum perturbatione & repentina mutatione, qui magis Reginæ obſequio addicti erant, & nonnulli Eccleſiaſtici Pyrrhonis, vt dicitur, porcello ſimiles, ſui muneris obliti, ad principis mores ſuos turpiter compoſuerunt, & religionem auitam deſeruerunt. Eadem plane ratione, vt teſtatur Aeneas Syluius, Bohemiam vniuerſam hæreſis occupauit.

6. *Quam late pateat pontificis poteſtas.* Sed dum hæ minimæ orbis partes ab Eccleſia deficiunt, aliæ latius patentes orbis oræ nobis antea incognitæ in eam ſe recipiunt, & ſuauiſſimum Pontificis iugum amplexæ, nullum alium in terris Chriſti vicarium agnoſcunt. Diuina enim prouidentia, quæ ſapienter omnia moderatur, factum eſt, vt ſolius

Ponti-

Pontificis auctoritate, diuerſis populis Euangelica lex promulgaretur. Ille enim ſolus eſt in terris, qui ad ſe Gangis, Ebri, Nili, & Rheni incolas vocare poteſt, cuius ſanctiſſima decreta ad Iapponenſes, & inſulas fortunatas perueniunt, & non alijs, quam orbis finibus; terminantur. Huius auguſtam auctoritatem mare Atlanticum veneratur, Peruanæ, & quæ ad meridiem ſitæ ſunt Prouinciæ ſuſpiciunt, vniuerſa America, & remotæ quæ ad Orientem vergunt, inſulæ complectuntur. Is inquam ſolus eſt qui tum late patentes Africæ oras, populoſque Solis radijs aduſtos Melindæ, & Manicongi, tum gelidas, quæ ad Boream ſe inflectunt nationes, vltimoſque Biarniæ, & Finmarchiæ incolas arctiſſimo fidei Chriſtianæ vinculo coniungere poteſt.

CAPVT XIII.

1. *Reginæ Angliæ decreta.*
2. *Inaudita legum ſeueritas.*
3. *Quid ſibi in Eccleſiaſticam adminiſtrationem vſurpauit.*
4. *Inſignè hæreticorum artificium.*
5. *Muliebri proprium eſt obtemperare.*
6. *Arrianorum & aliorum hæreticorum mores.*

ELiſabetha Angliæ Regina, vt ad regiam auctoritatem pontificiam adiungeret, & vtramque ſibi confirmaret, inaudita pro-

mulgauit edicta, quibus penes ſe tùm diuinū, tum humanum imperium eſſe teſtabatur. Ita olim inſignis ille prædo, ex omni parte conuocatis latronibus, qui primus omnium imperio Romano initium dedit, ſe geſſit, cuius hæc vox inter ſuos fuit: Quæ ad religionem, & ſacrificia ſpectant, penes regem ſunto. Sed huius reginæ decreta audiamus. Decernimus in poſterum omnium rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, ſummam earundem tractandarum poteſtatem penes nos eſſe, priuilegia, prærogatiuas, & omnia Iuris Eccleſiaſtici officia ad nos ſpectare, quæ ad mores corruptos melioribus inſtitutis formandos pertinent, quæ ad abuſus tollendos, ad errores euellendos, ad hæreſes extirpandas, ad ſchiſmata delēda faciunt, à noſtro ſceptro regio pendere. Alio autem in loco impudentius ait, Quicunque Reginam Eccleſię caput eſſe negauerit, in carcerem perpetuo detruditor, & bona illius proſcribūtor. His legibus non contēta, alias crudeliores ſanciuit, Quicūq; dixerit, affirmarit, ſcripſerit, aut numeris Arithmeticis innuerit, aut rogatus profeſſus fuerit, Pontificem Romanū Anglicanæ Eccleſiæ caput eſſe, tanquam læſæ maieſtatis reus, & patriæ proditor extremis ſuplicijs plectatur. Si quis autē alijs perſuadere conetur, aut ſibi perſuaderi patiatur, Antiſtiti Romano obtemperandū eſſe tanquam maieſtatis imminutæ reus pœnis afficiatur. Vt autē Catholicæ religionis nomē in tota Anglia oblitera-

tera-

Digitized by Google

teraretur & memoria illius penitus extingueretur, Regio Senatus-Conſulto cautum eſt, ne vllus ad cognatos alioſue affinitatis vinculo coniunctos, qui aut in Galliã, aut in Hiſpaniã, Italiã, Belgiã, aut alias amicas prouincias ſe recepiſſent, aliquid pecuniarũ, quibus eorũ inopiæ ſubueniretur, vel clam vel palã mitteret.

Id qui auſus fuiſſet, tanquam ſi in Reginæ caput coniuraſſet, atrocioribus tormẽtis exterminandus morti deuouebatur. Quàm multos nobili, & honeſto loco natos, & quod luctuoſum bonis omnibus fuit, quàm multas caſtiſſimæ vitæ matronas à patria exulare, oſtiatim eleemoſynam petere, & extremis anguſtijs pene contabeſcere vidimus? funeſtæ enim illæ leges, nihil aliud præterquam incendia, vaſtitatem, ſolitudinem, & cædes inauditas perſonant. Norunt omnes, non tantũ Lõdini, ſed in tota ea inſula, miſerrimè nullo crimine ſed ſolo religionis nomine quamplurimos ſuſpenſos, viuos diſſectos, concrematos, varijſq; ſuppliciorũ generibus excruciatos fuiſſe. Hac inſigni crudelitate Anglia gloriatur Hic infelicẽ Reginæ Scotiæ exitũ miſſum facio, quæ potentiſſimorũ regum totius Chriſtiani orbis coniunx, ſeruile ſuplicium ſubijt. Mei inſtituti non eſt id perſequi; ijs, qui Reipublicæ clauũ tractant, tantum negotium diſcutiendũ relinquo. Hæc ſunt præclara huius pſeudo-põtificis inſtituta, hæc vtiliter ſãcita edicta, hę ſapiẽter excogitatæ cõſuetudines.

Cur vero eam pontificem non appellem, 3.

Quod ſibi in Eccleſiaſticam adminiſtrationem vſurpauit.

quæ ſibi claues cæli,& inferorum creditas iactat,religionem ad nutum ſuum & libidiné fingit,ſummam Eccleſię poteſtatem ſibi aſſumit,ſtatis temporibus tanquam caput legitimum,ſingulas Eccleſias perluſtrat, Archiepiſcopos,alioſque prælatos propria auctoritate non minus temerè quam audacter creat? Qui autem ab ipſa creantur, Epiſcopi reginæ quaſi auguſto quodam& honorifico vocabulo ab omnibus nominantur, quos ipſa triennio quoque vertente, alijs loco cedere,in alios Epiſcopatus demigrare, aut ſæpius ad libitum in aliud ſolum vertere imperat: hanc fortaſſe adminiſtrandi formam à ſummo Turcarum tyranno accepit: qui eum quem Meuphti vocat magnum legis Mahumeticæ Patriarcham pro animi ſui ſententia dignitatem deponere, aut eam rurſus inire mandat. Quo autem nomine eam donādam cenſetis, quæ ad arbitrium ſuum de religione demit, vel multa ad eam noua & inaudita inuehit; rurſus immutat, paulo poſt eadem euertit: quæ in templis ſuis organa,tintinnabula, veſtem ſacram,Epiſcoporum ornatum, calices in ſua adminiſtranda cœna, nomina Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Canonicorum, Diaconorum,Sacerdotum,Curionum,horarum canonicarum diſtinctionem, Pſalmodiam,conciones,quæ quadrageſimæ tempore habentur,eiuſdem antiqua ieiunia,à carnibus abſtinentiam diebus Veneris,& Sabbathi Crucis & Crucifixi imagines,veteris pietatis veſti-

Digitized by Google

veſtigia adhuc retinet? Hodie etiam in ſacello ſuo altare ornatu albo ſtratum cernitur, & bini cerei argenteis candelabris innixi, qui in vtroque latere poſiti latè collucent. Erat ei quondam familiare crucem è brachio ſuſpenſam geſtare, quam vt deponeret Theodorus Beza literis ad eam datis fruſtra monuit. Suo enim Gebennenſi Epiſcopatu non contentus, latius ſui imperij fines propagare, & vniuerſam Angliam ad Gallorum hæreticorū conſuetudines reuocare conatus eſt. Illa vero, quæ ſibi peculiarem viuendi, & Eccleſias regendi normam delegerat, nunquam ab inſtituto deficere, nec ſuam ad Zuinglij, Lutheri, & Caluini, Religionem voluit componere. Eo tempore multi in Anglia quaſi puriorem & ſynceriorem doctrinam amplecterentur, (quam ob cauſam Puritani ſunt appellati) à Reginæ & alienorum hæreticorum cætu ſe ſepararunt, & templis relictis, intra priuatos parietes, quæ ad religionis cultum ſpectabāt, peregerunt. Ne fas ſiquidem dicebant, tot Catholicorum ceremonias, quas adhuc Regina retinebat, contemplari. Sed hos quoque Regina repreſſit, & partim minis, partim imperio in ſuas partes pellexit. Qua in re reliquis hæreticis, qui ceremonias repudiarunt, prudentior fuit. Sunt enim ceremoniæ veluti quædam lumina, quæ cultum illuſtrant; ornamenta, quæ Religionem decorant, compages & vincula quæ rerum ſacrarum maieſtatem conſeruant. Hæc vero omnia ex famili-

ari colloquio & congreſſu nobilis cuiuſdam Aquitani hæretici,qui ad auxilia petenda in Angliam profectus fuerat, accepi. Hic mihi narrabat, Reginam Angliæ non mediocrem voluptatem capere ex nobilium Gallorum cõſpectu, cum quibus ſæpius de noua hac Eccleſiaſtica diſciplina agebat. Glor abatur autem totius cleri adminiſtrationem à ſe pendere, & omnes Eccleſiaſticos ordines auguſtiorem quam in Gallia, & Germania maieſtatem præ ſe ferre. Tantam verò ſibi audaciam arrogauit,vt in media,quam audiebat,cõcione,è ſolio in quo ſedebat, conſurgens, ad concionatorem conuerſa,in has voces erupe-rit,ſatis in præſentia ea de re dictum eſt;hunc ſermonem prætermitte,propoſitum textum proſequere. Hæc à Sandero cõficta non ſunt, nec à me ex ipſo decerpta,ſed à Gallis nobilibus,qui teſtes in ſumma populi corona talia loquentem audiuerunt mihi fideliter relata.

4. *Inſigne hæreticorum artificium.* Itaque hanc potius primam omnium,quã Chriſtianus orbis vidit, Pſeudo-pontificem appellabimus,quàm Ioannam, quam ſola inueterata hæreticorum fraus confinxit,nullus autem mortalium vidit. Fuit hoc præcipuum eorum, qui primi hanc hæreſim diſſeminarunt,conſilium & induſtria, vt principibus, quos ſua labe inficere volebant,omnẽ rei Eccleſiaſticæ tractandæ autoritatem ſibi creditã perſuaderent. Quæ imperium augent, rẽ domeſticam amplificant, pecuniam ſubminiſtrant, facile in principum aures influunt, &

ſemel

Digitized by Google

ſemel bona in quæ aduolarunt, vſurpata, vix ab ipſorum manibus euelluntur. Patrimonij amplitudo primas apud eos ſæpe partes, vltimas religio tenet: Hæc vna ratio omnium potentiſſima, eos in propoſita ſibi via & errore obfirmatos reddit, ad ſuauiſſimũ Chriſti iugum è ceruicibus excutiendum impellit, ad bella Catholicis inferenda hortatur. Brentius & ipſe hæreticorum non vulgaris anteſignanus hinc inde ex ſacris literis accerſitis teſtimonijs hoc principibus non licere luculenter ſcripſit. Huic tamen non ſcriptis libris, ſed factis Regina Angliæ palam reluctatur. Patrum omnium antiquorum, qui ea de re ſcripſerunt, conſentiens eſt opinio, aliud eſſe principum & regum imperium; aliud Pontificum; & tantum inter ſe differre quantum humana à diuinis, terreſtria à cæleſtibus, caduca ab immortalibus. Sic olim Valentiniano Imperatori Arriano D. Ambroſius intrepido animo reſpondit; *Quis eſt, qui abnuat in cauſa fidei Epiſcopos ſolere de imperatoribus Chriſtianis, non imperatores de Epiſcopis iudicare?* Multis ante annis illud idem, diuus Anaſtaſius Conſtantio Imperatori quoque Arriano obiecerat, eumque grauiter ideo obiurgarat. Conſtantius tamen non ſuo, ſed Epiſcoporum, quos ſibi propenſos ſciebat, nomine, quicquid in votis habebat, promulgari præcipiebat. Sed quis ab orbe condito Eccleſiaſticam amplitudinem, quæ reliquis omnibus ſuperior eſt, aut à re-

gia

Digitized by Google

gia, aut ab imperatoria, aut à principe, aliaue maieſtate ſeculari pendere vnquam accepit? Extant celebriores ſynodi, leguntur præcipua Eccleſiæ decreta, ſcripta ſunt Concilia, quæ ſolius pontificis Romani auctoritate ſunt conuocata, ſancita, confirmata. Nec vllus antiquorum patrum, quorum oracula habemus, auſus eſt hanc principibus poteſtatem tribuere; nec vllus Catholicorum principum eam ſibi vendicare. Ita in ſimilem audaciā Theodoretus inuehitur; *Nunquid imperator cum Imperio eſt etiam ſacerdotij dignitatem conſequutus?* Idem Gregorius Pontifex ad Leonem Iſauricum ſcripſit, miſſa decretali epiſtola monens non eſſe imperatoris de fide ſtatuere, aut vetera Eccleſiæ decreta à ſanctis Patribus facta conuellere. Semper antiquitas eorum principum impietatem extremam deteſtata eſt, qui ſuam auctoritatem negotijs Eccleſiaſticis interponere, ea pro arbitrio ſuo adminiſtrare, ſibi hanc Iuriſdictionem arrogare voluerunt.

5. *Mulieri proprium eſt obtemperare.* In muliere autem, cuius partes ſunt obſequi, non imperare, cum hic ſexus natura ſit mollis, demiſſus, humilis, eneruatus, & languidus, quis ferendum cenſebit? Non muliebris muneris eſt ſoluere, ligare, iudicium de peccatis ferre, ſacra myſteria contingere: ſed colum, lanam, telam pertractare, penſum trahere, acum manibus terere, aliaque vilia domeſtica officia exercere. Hæ ſunt fœminarū partes, quas Apoſtolus Paulus eis præſcribit.

Notum

Notum eſt illud tritum Comici dictum.

Γυναιχί δ' ἄρχειν ȣ̓ δίδωσιν ἡ φύσις.

id eſt,

Mulieri imperium non dedit natura.

Huic ſi natura vires ſupeditaſſet, nullus eius imperium ferre potuiſſet,& deſertæ omnes terrarum oræ fuiſſent. Virili enim dignitati repugnat, vt ait Seneca, iugum tam acerbum æquo animo ferre. Omnes rerum publicarum fundatores à grauioribus tractationibus, legum latores à negotijs publicis, Philoſophi à ſapientia, iuriſconſulti à forenſibus cauſis, imperatores à militia fæminas remouerunt. Nolim hic impium Mahumetem tacitus prætermittere, qui non ſolum eis imperium ſed & ſalutem denegauit, eas à loco, in quo beati conquieſcunt, animo, excludens. Et ne in re tam aperta longius excurram, omnes populi mulieres ad magiſtratum tum ſacrum, tum ciuilem gerendum, minime natas exiſtimarunt. Ea, vt dicebat Philo Iudæus, ſi rebus, quæ ad viros pertinent, ſe immiſceat, non amplius mulier eſt, ſed virago eſt vocanda. Nec mirum ſi indignam rebus tractãdis exiſtimarint mulierem, cum leuitate Euros, inconſtantia Protheum, vilitate fumum, & pulueremſuperet. Fuit olim antiquis hic loquendi modus peruagatus & familiaris, vt quoties de infirmitate& tenuitate loquerentur, toties fœminam intelligerent. Non defuit inter antiquos legislatores, quidam non vulga-

vulgaris nominis qui an inter animalia ratione prædita deberent reponi viſus eſt dubitare. Earum intolerabilem inſolentiam, fractam mollitiem, contemptam vilitatem tùm Græci, tum Latini ſemper ſuſpectam habuerunt. Fraudibus enim, quæ eam in varias partes pertrahunt, vt ait D. Chryſoſtomus, muliebris natura patet. Si autem veteres illi à vero cultu remoti omnem aditum ad res adminiſtrandas mulieribus intercluſerunt, nos qui Chriſtiani ſumus, res ſacras earum manibus pollui, peſtifero ſpiritu contaminari, præpoſtero conſilio confundi patiemur? Elige quantum volueris cordatam, ſapientem, bene moratam, natura tamen ſemper ad ingenium recurret, & ſimia, vt dicitur, etiam in auro ſemper erit ſimia. Sit princeps, ſit imperatrix, ſit Regina, ſit nobilioris conditionis, nunquam exuet, vt ait comicus, leuitatem fœmineam. Hac in re Angli hæretici maiorum ſuorum ignauiam ſunt ſequuti, qui olim ſub mulieribus militabant; illis ad nutũ obtemperabant, & in bellis omnia earum conſilio gerebant. Arrianos quoque Chriſtiani orbis buſta imitati ſunt, qui reginis & imperatricibus ſummum in omnibus cauſis Eccleſiaſticis ius detulerunt. Hoc ex hiſtoria Eccleſiaſtica, maximè verò ex Suida conſtat qui Leontium quendam viriliter ſe Euſebiæ conatibus oppoſuiſſe, & inde cognomen hoc præclarum, totius ſcilicet Eccleſiæ exemplar & æquum virtutis perpendiculum reportaſſe te-

Digitized by Google

ſe teſtatur. Sed egregia huius auctoris verba, quæ huic loco inſerantur digna cenſentur.

Cum Euſebia Conſtantij vxor ſuperbia elata, ab Epiſcopis adoraretur. Leontius ſolus eam adulationem aſpernatus domi manſit. At illa irata & animo inflammato mittit ad eum expoſtulatum, pollicitationibus etiam hominem alliciens, ſe eccleſiam illi maximam extructuram eſſe, & affatim pecuniæ præbituram ſi ſe conueniret. Cui ille hoc modo reſpondet. Iſtorum quidem ſi quid imperatrix exequi volueris, non tam mihi te ſcito, quam animæ tuæ gratum facturam. Si me vero ad te venire volueris, debita Epiſcopis reuerentia conſeruata, vt ego quidem ingrediar, tu autem ſtatim de ſublimi iſto ſolio deſcendens reuerenter mihi obuiam procedas, & caput meis manibus ſupponas benedictionem acceptura: ac deinde ego ſedebo, tu verecunda aſtabis; cum iuſſero ſigno dato ſeſſura. Si hæ, inquam, tibi conditiones placuerint, veniam ad te. Sin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, vt nos honore Epiſcopis conueniente neglecto, diuinum ſacerdotij inſtitutum violemus, Euſebia Imperatrix generoſo, & Chriſtiano hoc Leontij reſponſo vehementius ſuccenſa, omnem quo in illum ſuam paſceret libidinem, & iræ famem exſaturaret, lapidem mouit ſed in ipſam fraus alteri parata, & ignominia recidit. Nunquam ita effœminati & errore obcœcati fuerunt Catholici, vt muliebri iugo colla ſubderent, manus tenderent, huicque ſexui omnium infirmiſſimo aliquam vel minimam etiã aucto-

rita-

ritatem Eccleſiaſticam decernerent. Itaque ſummus ille Senatus Pariſienſis, cum bis, anno ſcilicet 1515. & anno 1524. quo tempore Franciſcus ille Magnus Galliarum Rex potentiſſimus bello captus cuſtodia in Hiſpania detineretur, illuſtriſſimæ Dominæ Ludouicæ eiuſdem Franciſci matri totius regni adminiſtrationem conceſſit, ſapienter decreuit, ne vlla penes illam, aut Epiſcopos, aut Abbates nominandi, aut res Eccleſiaſticas tanquam ab ea alienas tractandi ſita eſſet poteſtas.

6. *Arrianorũ & aliorum hæreticorũ mores.*

Sed hoc à maioribus ſuis quaſi iure quodam hæreditario, & translatitio hæretici omnes hauſerunt. Angli quidem ab Arrianis, Arriani à Marcioniſtis, fœminis eorum impudens princeps Marcionius ſolemni etiam ritu baptiſandi conceſſit. Ita in hos ſuo tempore Tertulianus inuehebatur. *Ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere.* Tales fuerunt ſordes Pepuſianorum, Quintilianorum, quorum fœminæ vt D. Auguſtinus, & Epiphanius meminerunt, Epiſcopi vices ſubibant: hunc errorem VValdenſes, poſtea vero Vuiclephiſtę amplexi ſunt. Illi quidem à mercatore quodam Lugdunenſi, qui anno milleſimo centeſimo ſexageſimo vixit, & vtrumque teſtamentum ex Latino in Gallicum ſermonem tranſtulit, nomen acceperunt, & vulgo Pauperes de Lugduno appellati ſunt. Hunc proprio

prio marte ſacras literas gallico idiomate donaſſe Illyricus ſentit, idem in ſuis in Danielem commentarijs Conſtans Montis Albani pſeudominiſter ſcribit, eumque orbis prodigium, terrarum Phoſphorum, Eccleſiæ propugnaculum appellat. Ioſephus tamen Parpinianus auctor antiquus omnino omnis eruditionis expertem & rudem fuiſſe, & cuiuſdã Eccleſiaſtici literati mutua opera vſum fuiſſe contendit. Hic cum ſodalem ſuum ſecum deambulantem, in publica Lugdunenſi platea morte repentina extinctum corruere vidiſſet, religioſior vt putabat factus, vale dixit mundo, & bonis ſuis in pauperũ vſus diſtributis, ſe totum ſacrę lectionis ſtudio dedidit, & eius ſectę, quæ à ſe nomen deprompſit, prima fundamenta iecit. Tempore quoque Lutheri, fœminarum grex impudentiſſimus erupit, quæ eò audaciæ proceſſerunt, vt Theſes publicè de religione proponerent. Inter has principem ſibi locum quædam nomine Argula vendicauit. Nec hac quidem labe Caluiniſtæ caruerunt: Accepi ego à viro fide digno in vicô quodam Nemauſenſi vrbi finitimo, mulierem primis huius hæreſis initijs, è ſuperiori loco interdum ad populum de rebus diuinis verba feciſſe. Quo etiam tempore Theodorus Beza Loſanæ publice docebat, ſemel ſingulis hebdomadis lectionem ſacrã gallico idiomate explicandam ſuſcipiebat: ad eam copioſior mulierum, quam virorum aut ſcholaſticorum fiebat concurſus. Poſteriores

Digitized by Google

tamen hæretici Galli, iſtam muliebrem audaciam repreſſerunt, & illis tantum contra antiquas Eccleſiæ leges gregatim, & paſſim cum viris Pſalmos Rithmicos in ſuis cætibus canendi copiam fecerunt. Sed rident veterũ ſacros canones, maximè eum Diui Lini Petri ſucceſſoris, quo fæminis, niſi prius velato capite, & operto, templorum ingreſſus prohibetur. Quaſi vero, hi hominum & Diuorum irriſores inquiunt, hæc ſanctio tanto Epiſcodo digna ſit? Longius fortaſſis quam aliquorum aures poſtularent, ab ſcopo mihi propoſito viſus ſum aberrare; ſed nouus & inauditus Eliſabetæ Pontificatus me in has Syrtes præcipitem egit: ad nauigationis ſuſceptæ curſum iam redeo. Nolim tamen aliquos exiſtimare me de Regina, in qua multa humanæ laudis & prudentiæ efflorescunt ornamenta, temerariè obloqui. Faxint ſuperi, vt meliora meditetur, & quam deſeruit religionem auitam, iterum ſummo Catholicorum gaudio complectatur, ac alteram in ſuprema cælorum arce, quæ hanc caducam longe ſuperat, coronam maximo Beatarum mentium applauſu conſequatur.

CA-

CAPVT XIIII.

1. *Ex Anaſtaſio in Pontificatum Ioannæ petita auctoritas.*
2. *Alia ex Nicolao Magno hauſta argumenta.*
3. *Quædam ea de re notatu digna.*
4. *Lupi ad Benedictum 3. Literæ.*
4. *Nulla in antiquis auctoribus Ioannæ Expreſſa memoria.*
6. *Populus Romanus in Pontifices ea ætate male animatus.*

VT partes mihi impoſitas iterum ſuſcipiam, memini me in ſuperiori auctorum narratione, Anaſtaſium Vaticanæ olim Bibliothecæ præfectum, & ſummorum Pontificum à ſecretis amanuem ſem dedita opera prætermiſiſſe. Hic nihil de inſigni Bibliotheca Vaticana, Theſauro totius orbis pretioſiſſimo, olimque Anaſtaſio credito, dico; Nihil de ijs, qui ſtipendio conducti, quandiu fores patent, in ea excubant, loquor. Anaſtaſius igitur centum & decem Pontificum, qui eius ætatem præceſſerant, quacumque potuit diligentia vitas ſcripſit. Is copioſè teſtatur, ſe eo tẽpore pręſentem fuiſſe, quo Sergius ſecundus, Leo quartus, Benedictus tertins, Nicolaus primus, Adrianus ſecundus, & Ioannes Octauus diademate Pontificio ſunt inſigniti. Noſtri tamen Fabularum architecti Ioannam ſuam, Leoni quarto ſucceſſiſſe,

1. *Ex Anaſtaſio in Pontificatum Ioãnæ petita auctoritas.*

& poſt eum Pontificatum inijſſe vno ore clamant. Anaſtaſij verba, qui non vt hoſpes, & peregrinus huius facti, nec alicuius Chimeræ ex aliorum ficta narratione, inuentor, ſed tẽporum horum conſcius loquitur, attentius audiamus. *Sanctiſsimus Leo Papa 4. obdormiuit in Domino 16. Kalend. Auguſt. ſepultus ad ſanctum Petrum, & ceſſauit Epiſcopatus dies quindecim, quo mortuo mox omnis clerus Romanæ ſedis, vniuerſi proceres, cunctuſque populus ac ſenatus congregati ſunt, Domini clementiam exorantes, vt beatificum illis in omnibus demonſtrare dignaretur paſtorem, qui Apoſtolatus culmen regere valeret tranquillè. Qui diuinitus ætherero lumine inflammati vno conſenſu, vno conamine Benedictum pro tantis, quibus pollebat, ſacris operibus, Pontificem promulgauerunt.* Hic nihil ab Anaſtaſio de iuniori illo Philoſopho ex Athenienſi Academia Romam apulſo, & fortuitò in Pontificẽ delecto: nihil de fugitiua meretrice, eaque iuuencula, in vices Leonis quarti vita functi ſuffecta dicitur, non ijs, quibus veteratores noſtri tegunt inuolucris vtitur; ita fertur, ita narratur, talis ſpargitur communis fama, ſed poſt Leonis quarti obitum ſedem quindecim tantum diebus vacaſſe, & Benedictum è veſtigio, ſummo omnium ſuffragio Pontificem creatum fuiſſe locupletiſsimus teſtis, vtpote præſens, conteſtatur. Si hæc, quæ ab aduerſarijs narrantur, aliqua veriſimilitudinis vmbra niterentur, nunquam à tanto viro ſilentio prætermiſſa fuiſſent. Solam veritatem tanquã

rerum

rerum æquus æſtimator ſibi ante oculos propoſuit. Non eum amor, non odium, cum ab aliquibus Pontificibus non ſatis humaniter & liberaliter exceptus fuiſſet, non alia perturbatio, quæ auctores interdum à recto tramite deflectit, à veritate reuocauit. Quid huic aduerſarij reſpondeant, non inuenient.

Sed ne ſolius Anaſtaſij teſtimonio fulcire noſtram cauſam videamur, extant magni illius Nicolai non paucæ Epiſtolæ, in quibus de Pontificum electione multa dicuntur, & nomina eorum, qui ſuo tempore Pontificia dignitate perfuncti ſunt, recenſentur. Is de Leone quarto, & Benedicto. 3. cui ſe ſucceſſiſſe affirmat, ſæpius loquitur. Nihil autem de Ioanne, nec de ficta, quam obijciunt aduerſarij, Ioanna, quam Benedicti tertij demortui partes ſuſcepiſſe contendunt. Dum ad Michaelem Imperatorem ſcribit, ſæpius eidem felicem memoriam prædeceſſorum ſuorum Leonis, & Benedicti refricat. Qua igitur ætate, quo tempore, quo anno, quo die, qua in vrbe, à quibus Cardinalibus Ioanna meretrix, Pontifex eſt creata? Cui Pontifici ſucceſſit? quanto tempore Pontificatum geſſit? Cómunis hæc eſt aduerſariorum vox, poſt Benedictum tertium clauum tenuiſſe. At duo hæc veritatis oracula Anaſtaſius, & Nicolaus Magnus, tam aperto mendacio refragantur: horum alter, decimo quinto die poſt Benedictum tertium extinctum, Nicolaum Pontificem renuntiatum ſe vidiſſe affirmat: alter de

2. *Alia ex Nicolao magno hauſta argumenta.*

ſe verba faciens, ſe in Benedicti locum ſuffectum Pontificem ſcribit. Vbi igitur illi duo anni quibus Ioanna ſolium Petri gubernaſſe fingitur, reperientur?

3. Quædam ea de re relatu digna.

Quaſi vero grauiſſimi hi auctores duos annos ſuffurari, & huius meretriculæ toto orbe ſparſam, ſi ita res contigiſſet, adminiſtrationem prętermittere auſi fuiſſent? In hoc nō ſolum ij, qui pontificum vitas ſcripſerunt, ſed aſij hiſtorici, tum Itali, tum Galli maxima animorum conſenſione conueniunt. Peruoluatur Aimonius, percurratur Ado Archiepiſcopus Viennenſis, cuius verba hæc ſunt; *& Pontifex Gregorius moritur, atque eius loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo ſuccedit, quo obeunte Benedictus in ſede Apoſtolica ſubſtituitur.* Hic potuit vidiſſe portentoſam Hermaſphroditi pontificis electionem: ſcripſit enim ad annum octingenteſimum nonageſimum.

Lib. 6. Chro

Idem Hugo Floriacenſis, qui floruit anno 1050. *In Romana Eccleſia, Papæ Gregorio Sergius ſucceßit, & Sergio Leo 1151. & Leoni Benedictus, & Benedicto Nicolaus.* Sic alius æqualis Hermanus Contractus anno 1050. *Romæ Leone Papa defuncto, Benedictus Papa tertius ſedit annis duobus menſibus ſex, Romæ poſt Benedictum, Nicolaus Papa ſedit annis nouem.* Iam reliquos ſuo quemque ſeculo ſigillatim percenſeamus. Florentinus Vvirgermenſis Chronographus anno 1000. ad ſua vſque tempora ſummorum Pontificum album conſcripſit, in quo Sergius centeſimus primus, Leo cen-

teſi-

Digitized by Google

teſimus ſecundus, Benedictus centeſimus tertius, Nicolaus centeſimus quartus, Adrianus centeſimus quintus reponitur. Hunc ſequitur Honorius Auguſtodunenſis Hiſtoriæ ſcriptor, qui in Chronico de ſex ætatibus mūdi, *Leo*, inquit, *annos ſedit octo, menſes nouem, dies ſex, Benedictus annos duos, menſes ſex, dies ſex; Nicolaus annos nouem, menſes ſex, dies triginta.* Adde Conradum Vveſpergenſem anno 1220. *Leo*, ait, *Papa è vita migrauit, cui Benedictus Papa Centeſimus quartus ſucceßit, & ipſe eodem anno deceßit. Anno 1058. Nicolaus Papa Centeſimus quintus ordinatur, regnauit annis nouem.* Idem Albertus Sitadienſis, qui vixit an. 1240. & VincentiusBurgundus in ſuo ſpeculo. Omitto Paulum Aemilium, Polidorum Virgilium, & quoſdam inferioris notæ: in antiquis totus inhæreo. Ab antiquo quodam Anglo, cui nomen erat VeſtMonſtarienſis, concinnati hiſtoriarum Anglicarum flores, & Londini, anno milleſimo, quingenteſimo ſeptuageſimo impreſſi in meas manus inciderunt, qui eos collegit, tredecim annis ante Martini Poloni tēpora primi huius Fabulæ inuentoris ſuperſtes fuit. Is cū de Leone quarto, & rebus, quæ eius mortem conſequutæ ſunt, ſermonem inſtituit, poſt Leonem, Pontificatum geſſiſſe Benedictum tertiū, ne vel minima huius Ioānę expreſſa memoria, ſcribit. Hic vero liber ſi exLutheranorum officinis prodijſſet, nunquam niſi prius inſerto hoc ſomnio in lucem veniſſet. Sed hic error eſt eripiendus, hęc

Lib 38.c.48

detrahenda opinio. Attendant igitur aduerſarij, quid alij omnes Annalium Scriptores hac de re ſenſerint. Aures æquas præbeant: clariora non ſunt indaganda teſtimonia.

4. *Lupi ad Benedictum 3. literæ.*

Lubet igitur hoſtes noſtros propugnaculorum multitudine obruere, & ad ſuperiores auctoritates, Lupi Abbatis Galli epiſtolam ad Benedictum datam intexere: ſic ergo Lupus. *Tempore prædeceſſoris veſtri beatæ memoriæ Leonis, ſum ſunctus legatione Romæ, & ab eodem Antiſtite exceptus, benigneque tractatus. Poſtquam vos non eſſe inferiores religione fama declarauit, nec tantum poteſtatis beatiſſimi Petri participes, verum etiam humilitatis, vt vera morum veſtrorum expenſio certa ratione perdocuit, auſus ſum ego tantillus veſtræ ſublimitatis me ſcriptis ingerere.* In poſtrema Epiſtolæ parte aliquos D. Hieronymi qui paſſim non reperiebantur libros, Ciceronis de Oratore, & Quintiliani aliquod exemplar ſibi dari, & ad ſe mitti flagitat. Iſte Romæ verſatus fuerat, & cum Leone familiariter egerat: vixit enim anno 855. Benedictũque Leoni ſucceſſiſſe omnium amicorum ore reſciuerat. Hi ſunt auctores, è quibus tanquã è fontibus, vera eſt hauriẽda hiſtoria: hi partium noſtrarum duces fortiſſimi; hi temporũ ſuorum teſtes integerrimi. Si hac in parte ab illis peccatum eſt, alios qui contrarium aſſeverant auctores, ſi quos habent, bonos & probatos proferant. Sed ne vnum quidem alicuius nominis pro ſuo patrocinio poſſent nobis opponere.

Auguſti-

Auguſtinus Onufrius ſagax antiquitatis indagator, idemque ſummorum Pontificum cubicularius, à diuerſis ſeptem auctoribus manuſcriptis ſummorum Pontificum exaratam ſucceſſionem in Bibliotheca Vaticana ſe vidiſſe, & eandem in ſingulis diligenter percurriſſe teſtatur. In hac nullo prorſus temporum, & vitæ ordine immutato, Benedictus Leonem ſequitur. Ioanna vero tanquam ea, quæ excogitata ab aduerſarijs fuit, in nulla ſerie collocatur. Inter eos auctores vnus cernitur, qui eleganti & artificio pleno poemate vniuerſam ſacrorum antiſtitum Romanorum ſeriem eſt complexus; ex quo hæc tria quæ ad inſtitutum noſtrum faciunt carmina, decerpſiſſe ſatis ſit. 5. *Nulla in antiquis auctoribus Ioanna expreſſa memoria.*

Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus, *Nicolaus Maniacutius.*
Pontifices, dictum poſt quos, legimus Benedictum,
Hinc Nicolae tuo tua gaudet Roma decore.

Intolerandæ eſſet impudentiæ & mendacij non ferẽdi, è ſuo loco & ordine Ioannam, & res ab illa geſtas reuellere, & quæ duorum annorum ſpatio, quibus illa in puppi sediſſe fingitur, inaudita contigerunt, è corpore hiſtoriæ abſcindere. Potius toto eo biennio ſedem vacaſſe dixiſſent, quod illis & reliquis toties in more eſt poſitum, quoties aut alicuius Pontificis creatio non videtur legitima, aut memoria eius parum orbi Chriſtiano grata. Ad aliud diuerticulum confugiunt hæretici, & Leonis Pontificatum longius proro-

gari, duoſque annos, quibus Ioanna Romam rexit, Leoni, vt rei tanta indignitas tegatur, callidè à nobis attribui fabulantur. At proprios in ſe mucrones conuertunt, dum ab ijs etiam auctoribus, ex quibus hoc Ioannæ cõmentum mutuati ſunt, nullum medium, inter Leonis & Benedicti electionem, tempus conſtitui animaduertunt. Itaque cum nec in Leonis, nec in Benedicti tempora fictus hic Ioannæ Pontificatus poſſit cadere, reſtat vt hæc Fabula diuerſis temporibus locupletata, à varijs auctoribus amplificata, à parum pijs hominibus, qui hac deformitate, Eccleſiæ pulchritudinem & ſplendorem deturpari poſſe putabant, veteratoriè adinuenta dicatur. Si cuius autem animus in ſuperioribus ſcriptoribus non conquieſcat, à capite ad calcem Zonaram percurrat, qui res memoria dignas ad annum milleſimum centeſimum decimum ſeptimum complexus eſt; Nicetam euoluat, qui hunc ſubſequutus ad annum milleſimum ducenteſimum primum hiſtoriam protraxit; Nicephorum Gregoram manibus terat, qui idem penſum ad annum milleſimũ trecenteſimum quadrageſimum nonum produxit: Cedrenum & reliquos alicuius põderis auctores perſpiciat, in quibus nulla huius commenti narratio, ſicut nec in probatis hiſtoricis Gallicis aliqua Reginaldi à Monte Albano, Ogierij, Maugis, & reliquorum figmentorum commemoratio legitur. Fuit fortaſſe hæc de Ioanna excogitata fabula ad pueri-

eriles animos oblectandos, aut ad hæretico-rum mentes, vt omnem maledicendi flammam in Pontifices euomerent, ardentius incendendas. Sit ita, vt narraſti, dicet aliquis. Sed Nicolaus, Anaſtaſius, Aymo, Lupus, & copioſi eorum auctorum, quos citaſti, greges tantam turpitudinem, ne Romanæ Eccleſiæ adhæreſceret, ſubticuerunt. At hoc multum à candore illius ſæculi & illius ætatis hominibus, quibus nihil fide, & veritate antiquius fuit, eſt alienum. Potius tam turpe factum ſi vnquam contigiſſet, excuſatione aliqua obduxiſſent, quamquam facinus palam perpetratum prætermiſiſſent. Diuturnum enim & ſempiternum, quo vſi ſunt, ſilentium, cum aliqui eorum Pontificibus domeſticè famulati fuerint, eos tam horrēdi ſceleris conſcios, & reos non obſcure arguiſſet. Poterant tamen illi, ſi in eligenda meretricula peccatum fuiſſet, totam fraudem in demonis artes, in ſexū diſſimulatum, in ſanctitatis, famæ, & doctrinæ non vulgarem opinionem retorquere, deinde admirabilem Dei iuſtitiam, quæ nihil inultum patitur, extollere, genus mortis tam prodigioſum, vt reliqui in poſterum ſaperent, ante omnium oculos proponere, recondita diuinæ ſapientiæ iudicia prædicare.

6. *Populus Romanus in pōtifices ea ætate male animatus.*

Sed populus Romanus eo tempore Pontificibus infenſus, & maior pars Italiæ, quam Carolus Magnus ſedi Apoſtolicæ ſubiugarat, male quoque eam ob cauſam in Pontifices ani-

animata, hanc turpitudinis maculam nunquam ſilentio inuoluiſſet, citius abrepta hac iugum excutiendi anſa, à Romano Pontifice defeciſſet,& ſe turpi eoque fœmineo imperio parere nolle dixiſſet. Vulnus enim graue acceptum, ex recenti Caroli Magni memoria, qui vix à quadraginta annis vltimum diem obierat, in dies magis ac magis recrudeſcebat. Vniuerſi iterum Itali tam præſentem occaſionem nacti, ad aliorum Regum partes, ad quas omnium voluntates incumbebant, auide accurriſſent, auxilia petiiſſent, ad arma aduolaſſent. Alias enim non ita æqua & iuſta cauſa incitati, literis vt ad Italiam inuadendam armatus deſcenderet, Conradum inuitarunt. Orientis quoque imperatores, è quorum manibus Pontifices, Occidentis prouincias & regna ſubtraxerant, ad bellum Romano Antiſtiti inferendum, totamque Conſtantinopolitano imperio adiungendam Italiam, conuocaſſent. Facilem enim aditum ad res ex animi ſententia gerendas, turpe huius meretriculæ factum præparaſſet.

CAPVT XV.

1. *Vitia & virtutes in libris exprimuntur.*
2. *Ne Pontificalibus, quidem parcunt hiſtorici, Illis tamen ſiue bonis, ſiue malis obſequendum.*
3. *Funcij error.*

4. Car-

4. *Cardinalium inſtitutio, eorum veſtitus & pileoli quadrati.*
5. *Eccleſia Romana errare non poteſt.*
6. *Onuphrij teſtimonium.*

FIerine poteſt; vt tanti & tam graues auctores, tam flagitioſi facinoris memoriam tenebris obruere voluerint ſempiternis? Id etiam ſi voluiſſent, aſſequi tamen non potuiſſent. Itaque, ſicuti ſuperius oſtendimus, non in eorum voluntate poſitum id fuiſſe, ita nec in eorum poteſtate & viribus collocatum in præſentia demonſtrabimus. Nobis igitur ante oculos proponamus contaminatiſſimum illum partum, in quo aduerſariorum calumnia exultat, non in abditis & retruſioribus palatij receſſibus, non in gurguſtijs, non in thoro omnibus inuolucris circunſepto, ſed in ſolemni ſupplicatione, in conſpectu totius populi, in vico publico, vt ipſi aiunt, contigiſſe. Rem igitur tam apertam, & in omnium luce poſitam, intactam relinquere, impudentiæ, alia omnia, quæ illa ætate euenerunt, ſcribere, hoc vnum ſcelus diſſimulare, perfidiæ; quorundam flagitia narrare, aliorum vero peccata tegere adulationis fuiſſet. Imo hoc vno tacito, reliquum hiſtoriæ curſum, quamuis cum veritate coniunctum, mendacio ſuſpectum reddidiſſent. Ijdē hiſtorici, qui Titi imperatoris ſuauiſſimos mores, quibus totius orbis animos ſibi conciliabat, literis mandarunt, Domitiani quoque

1. *Vitia & virtutes in libris exprimantur.*

que ſucceſſoris & fratris florentiſſimæ reipublicæ buſti efferatam crudelitatem, intolerabilem ſuperbiam, inexhauſtam libidinem nobis prodiderunt. In eodem interdum auctore, & eadem pene columna, & folio, ne dicam periodo, magni illius Iulij Cæſaris magnanimitas, liberalitas, clementia, pulchritudo, ſuauitas, dicendi & ſcribendi ornata facilitas extollitur; & repente inſatiabilis ambitio, imperij cupiditas, inſolens animi faſtidium, & arrogantia, inſaturabilis voluptas perſtringitur. Hiſtoria quantumuis ad adulationem inclinet, non poteſt tamen, vt ait poeta Latinus, aurato baltheo principum vulnera obligare, & quæ omnium oculis patent, vlcera contegere.

Itaque quid illius ſæculi ſcriptores potuit impellere, vt meretricis omnium contaminatiſſimæ famam, vt & honorem ſartum & tectum vellent conſeruare, cuius ipſa in omnium oculis, in vrbe ampliſſima, in publico Theatro naufragium fecerat? Libidinem illius, & impuros mores hiſtorico ſtylo tanquam penicillo natiuis coloribus expreſſiſſent, & ne vel minima turpitudinis lineamenta prætermiſiſſent. Si quid laudabile in pontificum vitis elucet, narratione percurrunt, ſi quid turpe, non ſupprimunt. Aeque enim vitia Stephani ſexti, Chriſtophori primi, Sergij tertij, Ioannis duodecimi, & decimi tertij expoſuerunt, ſicuti pietatem Leonum, ſanctitatem Gregoriorum, & aliorum piorum ponti-

pontificum integritatem extulerunt. Pontificum quidem vita tanquam puriſſimus quidam fons, ex quo cæteri ſalutares aquas haurire debent, omni vitio & culpa carere deberet: ſed ea eſt humanæ naturæ infirmitas vt fæcibus & luto ferè immerſa, vix, niſi diuino auxilio inde poſſit caput efferre, liberè reſpirare, & lubricum hoc vitæ iter ſecurè percurrere. Hæretici autem potius ſingularem in Eccleſia ſua regenda & conſeruanda Chriſti prouidentiam admirari deberent, quam ita audacter in dei miniſtros debacchari. Fuit cuiuſdam antiqui mimi & ſcurræ ſapiens dictum; omnium bonorum imperatorum nomina in orbe annuli ſcribi, & eorum imagines depingi poſſe. Vix enim inter quinquaginta, vnus qui ea virtute præſtet, quam imperatoriæ maieſtatis apex deſiderat, ſi ſingulorum à puero percurratur vita, reperietur. Contrarium autem ſingulari Dei beneficio in Eccleſiæ miniſtris cernitur. Vix è quinquaginta Pontificibus, vnum, qui ſcelerate vixerit, ſeligas. Quamuis autem aliquis vitæ non ſatis probatæ, ad hanc ſanctiſſimam dignitatem prouectus fuerit, Catholicorum tamen fuit, illum tanquam ſibi à Deo datum CHRISTI vicarium, reuereri, illi obſequi, illum omnibus officijs colere. Aliud enim eſt ad Pontificatum, aliud ad gloriam, qua perfruuntur beati, vocari. In numero quidem Pontificum, etiam ſi malus ſit, cenſetur; in numero vero electorum, & prædeſtina-

torum

Digitized by Google

torum non habetur. Noſtrarum tantum partium eſt, morem ijs, qui ſuperiorem gradum obtinent, gerere. Abdita verò dei conſilia, qui ex malis, quæ permittit, vtilitatem aliquam in bonum publicum deriuari facit, nõ eſt humanæ infirmitatis perſcrutari. Ijdem Deus, qui Auguſto, qui Veſpaſiano habenas imperij conceſſit, idem quoque Neroni, & Domitiano terris Reipublicæ peſtibus clauum moderandum tradidit, ſed alias hac de re pluribus agemus. Reliqua igitur, quæ noſtro inſtituto adhærent adiuncta proſequamur.

3. *Funcij error.* Hanc enim Fabulam, quam omni rerum apparatu adornarunt, tanquam alteram corniculam Horatianam omnibus pennis exuere, & tanquam ſimiam Baſilianam ſuperbo matronæ cultu indutam, aduentitio ornatu ſpoliare contendam. Funcius itaque natione Germanus, & Chronicorum rapſodus, qui multorum flagitiorum reus ſuſpendio vitam terminauit, miratur Cardinales, quos ſpiritu ſancto, deriſionis gratia, afflatos, & eiuſdem ſplendidiſsimo lumine illuſtratos appellat, à fœmina fuiſſe circumuentos. Sed è veſtigio venenum, quod incluſum geſtabat, euomuit: & facile fuiſſe, inquit, mulierem ad fraudes natam Cardinalibus imponere. Tenuis enim, & paruus paucorum hominum cœtus nullo negotio deluditur. Hac tamen in re non paruum ignorantiæ ſuæ argumentum prodidit, cum ſe antiquitatis ignarum, & veteris conſuetu-

ſuetudinis inexpertem declarauit. Non enim vt iam, ſola purpurata Cardinalium corona de eligendo Pontifice conſultabat: ſed ad noui Pontificis creationem vniuerſus populus, vt teſtimonium de moribus proferret, liberè accurrebat; & clerus omnis vocatus aduolabat. Id vero ex Anaſtaſij verbis ſuperius citatis, cum de Sergio, Benedicto, & Nicolao ageret, elicere licet. Illa autem populi conuocatio non minores tempeſtates, quam cedes frequentes, peperit. Populus enim furens, & inſolens ſæpius ad manus, & ad arma venit, vt in Damaſi creatione, in qua, quod ab Ammiano Marcellino & Ruffino annotatum eſt, centum triginta ſeptem in vno templo cæſi occubuerunt, cum alij aduerſarentur alij ſuffragarentur. Idem ferè contigit in creatione Cononis primi, Sergij primi anno 686. & 687 Hanc ſibi licentiam populus ad annum vſq; milleſimum quinquageſimum nonum vendicauit. Quo tempore vt malis impendentibus, perturbatæ confuſioni, diuerſis imperatorum & principum factionibus varijs, quæ populares animos labefactabant, corruptelis occurreretur, ſummum & totum Pontifices eligendi ius Cardinalibus eſt relictum. Quam longè populi effrænata inſolentia progrediatur, in Adriani ſexti, quo nullus ea ætate religioſior, & ſapientior, electione apparuit, qua facta cum è conclaui Cardinales pedem extulerunt, in eos plebis excitatæ exarſit ſeditio, quæ ab omnium nece non longe abfuit. Bale-

us quidem qui bonos omnes dente leonino lacerauit, Adrianum hypocritam tectum vocat.

4. *Cardinaliũ inſtitutio eorum veſtitus, & pileoli quadrati.*

Miror autem Illyricum auſum fuiſſe ſcribere, hanc penes populum poteſtatem ad annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum fuiſſe: ſed Alexandri tertij (vt ex Radeuico patet) & Gregorij ſeptimi (vt in quodam decreto, quod apud Platinam legitur) creationi ſolos Cardinales interfuiſſe, perſpicuum eſt. Hæreticorum autem induſtria eo incumbit, vt iterum ad antiquum chaos omnia Eccleſiæ negotia reuocet. Hoc inſigni mendacio non contenti, duo alia lepidiora adiunxerunt, quorum alterum eſt, Ioannam ex Cardinali quodam, cuius amore vehementius tenebatur, prolem ſuſcepiſſe, alterum eſt, eiuſdem Epitaphium ab alio Cardinale exaratum fuiſſe. Sed longe à ſuis auctoribus diſſentiunt. Quotquot enim hæretici hac de re ſcripſerunt, nouum eſſe, & primis ac integris Eccleſiæ temporibus inauditum contendunt, eorumque ordinem longe poſt Ioannæ obitum (ducentis ſcilicet annis ſi tempus quod attingunt, colligas) emerſiſſe impudenter mentiuntur. Qui igitur nondum erant nati, facti, confirmati Cardinales, hi ſe hoc ſcelere contaminare potuerunt? Multa in comædijs, facetijs & ſalibus conſperſa ad aucupandum riſum comparata, & ad animos oblectandos ficta legi, ſed nullam [illegible]icæ vberiores excitare poſſit cachinnos, vidi fabulam.

bulam. Aliter tamen Caluinus ſentit, qui ante Magni illius & diui Gregorij tempora, nullam in antiquis monumentis Cardinalium mentionem à ſe deprehenſam teſtatur. Sed antiquitatis hoſpes & ignarus in concilium Romanum tempore Sylueſtri, qui trecentis ante Gregorium floruerat annis, celebratum oculos non conuertat. Si vel præteriens eos in Concilij canones inflexiſſet, Cardinales ibi expreſſos & nominatos vidiſſet. Vtinam Onuphrij eruditæ lectioni ſe dediſſet: ex eo quippe didiciſſet hunc ſacrum ordinem ab Euariſto circa annum centeſimum inſtitutum fuiſſe, & ex diſtinctione titulorum & parœciarum earum, quæ Romæ præcipuæ cenſebantur, originem traxiſſe. Nomen autẽ Cardinalis, id eſt præcipui, ipſo Pontificatus Higinij exordio circa annum centeſimum quinquageſimum in ore hominum, & in vſu loquendi eſſe cœpit. Alicui enim parœcię Romanæ præfectum eſſe, aut titulo illius gaudere, idem erat, ac Cardinalem presbyterum, id eſt, illius paræciæ præcipuum eſſe. Idem vero de Cardinalibus Diaconis ſentiendum eſt. vtrorumque Cardinalium tùm presbyterorum, tum Diaconorum Diuus Gregorius meminit, in his, quas ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum, & ad Ioannem Epiſcopum Syracuſarum ſcripſit, literis. Ioannes autem Diaconus, qui huius Sancti pontificis vitam hiſtoria complexus eſt, numerum eorum Cardinalium presbyterorũ, quos ad Epis

 copa-

copatus dignitatem D. Gregorius prouexit, poſteritati mandauit. Eò tamen impudentiæ Caluinus progreditur, vt in ſolos Epiſcopos hoc nomen conueniſſe auſus ſit affirmare; Qua vna re quid ineptius, quid abſurdius, quid homine literato indignius poterat dici? Ante annum enim 1180. vt eruditè Onuphrius, qui nihil in hac materia intactum reliquit, annotauit, nullus Epiſcoporum Cardinalis renuntiatus fuerat. Epiſcopalis enim dignitas multis partibus Cardinalatu ſuperior erat. Eo tamen tempore Cardinalibus tantum à ſummis Pontificibus tributum eſt, vt primas poſtea ſibi partes vendicarint. Sacrum autem Cardinalium collegium dignitate & maieſtate ampliſſima adauctum poſterioribus ſæculis ſummo pacis bono, vt diſcordijs, quæ ſæpius exortæ fuerant, nullus in poſterũ ſupereſſet locus, eum ſummum pontificem, quem rerum tractandarum peritia, & morũ integritate, plurimum poſſe exiſtimabat, nulla ab imperatoribus, quod ſæpius factum fuerat, petita confirmatione, ſelegit. Henricus enim Imperator cum id ſui iuris non eſſe intelligeret, pacem cum clero inita, Cardinalibus, è quorum auguſto Senatu Pontifices aſſumuntur, totum hoc munus incumbere declarauit. Sacrr autem hæc Cardinalium ſocietas (quæ magna rerum gerendarum experientia valet) Pontifices conſilio iuuat, labore ſubleuat, prudentia fulcit. Sed vt ad curſum, à quo deflexit oratio, iterum ſe recipiat, reli-

quæ

quæ huius fabulæ partes ſunt perluſtrandæ. Funcius igitur hunc Cardinalem qui Ioanna turpiter abutebatur, purpura elegãter indutum, pileolo quadrato purpureo ſpectabilem, corporis forma politum, ſermone vrbanum, geſtu amatorio lepidum depingit. Homo interea vecors non aduertit in Concilio Lugdunenſi tempore Innocentij purpureum hunc ornatum Cardinalibus prçſcriptum fuiſſe, vt eo vno ſymbolo ſanguinis Chriſti noſtræ libertatis vindicis memoriam renouarent, & ita ad imitationem priorum illorum Cardinalium, qui martyrium ſubierant, pro Chriſto ſanguinem fundere parati eſſent; ac pro Eccleſiæ libertate, quam tunc Federicus imperator oppugnabat, mortem, ſi periculũ immineret, fortiter oppeterent. Non diſſimilis, vt opinor, ratio inuentionem pileorũ quadratorum, quibus & Eccleſiaſtici viri, & togati vtuntur, antiquis patribus perſuaſit. Nempe vt expreſſa in eis crucis forma demiſſionem animi, quæ præcipua virtus in Chriſtiano deſideratur, ante oculos proponeret. Initio quidem ſolis Eccleſiaſticis viris eorũ vſus, poſtea verò togatis omnibus eſt conceſſus. Ea, niſi meum me fallat iudicium, ratione permoti hæretici, vtpote, quibus crucis recordatio horrorem & nauſeam parit, pileos quadratos reiecerunt. Eorum enim Pſeudominiſtri è ſuperiori loco petaſati, & lacernati tanquam ſi palliatim comediam agerent, ad populum ridiculè ſatis dicunt. Bearnenſis

autem Senatus, qui totus eſt hæreticus, pileolo holoſerico inferiori parte anguſtiori, ſuperiori verò turgentiori vtitur. Iterum ad penſum me reuoco.

5. *Eccleſia Romana errare nō poteſt.*

Qua igitur ratione muliercula potuit totius populi Romani oculos obcæcare, totius cleri iudicij aciem perſtringere, & vniuerſo orbi, vt eligeretur, imponere? Neque enim à paucis, vt aduerſarij commentantur, ſed à frequentiſſimo tum cleri tum populi cætu debuit pro more antiquo creari. Regino, qui non longe ab ea ætate remotus fuit, ſi hac inſigni techna deluſos omnes, qui tunc Romæ aderant, reſciuiſſet, ſi Eccleſiaſticos fraude circunuentos, ſi ſedem ipſam denique Apoſtolicam hoc monſtro fœdatam & deturpatam fuiſſe cognouiſſet, nunquam hæc, quæ ſcripta reliquit, de ſacro hoc ſolio verba protuliſſet; *Eos penitus carere mente exiſtimandum eſt, qui credidere ſedem Apoſtolicam facile poſſe decipi: quæ nunquam lapſa eſt in errorem quamuis varia exorta fuerint hæreſes.*

Itaque cum vulnus recens inflictum in hominum memoria inhæreret, nunquam Regino tam luculentam plagam, ſi facta fuiſſet, ſilentio inuoluiſſet. Libere enim dixiſſet, ſedem Apoſſolicam ſemel tantum fraude meretricis fuiſſe circunſeptam, quæ Deo vindice pœnas tantæ audaciæ perſoluit.

6. *Onuphrij teſtimoniū.*

Idem vero Onuphrius, cuius auctoritatem ſuperius adduxi, ſe antiqua quædam Damaſi & Pandulphi Piſani monumenta manu ſcrip-

ſcripta vidiſſe teſtatur, in quibus cum de pótificibus ſermo inſtituitur, nihil de Ioanna dicitur. Inſuper in vetuſtis Damaſi bibliothecarij & Pandulphi Piſani vitarum libris nulla huius fœminæ memoria eſt, ſed in margine inter Leonem quartum & Benedictum tertium alienis characteribus vetuſtis longe differentibus huius rei fabula à poſteriore auctore eſt addita.

Ab hoc fortaſſe Polonus, Martinus, Penitentiarius, Platina, & alij hanc fabulam quam latè diſſeminarunt, mutuò acceperunt. Qui omnes decepti, alios in eundem errorem præcipites traxerunt. Veriſimile eſt hanc gloſſam altero atramento, alia manu, alijs characteribus depictam ab aliquo ſchiſmatico aut hæretico illius temporis, qui poſteritati imponere voluit, fuiſſe additam. Quam multa enim adinuenerunt Claudius Thodinenſis, Godiſcalcus Gallus, Bertrandus Fredebardus, Ioannes Scotus, & aliæ ſimiles orbis peſtes? Aut fortaſſis hiſtoriæ ignarus cum de Theodora, aut de Ioanne aliquid audiuiſſet, qui huic commento, vt inferius oſtendemus; aditum aperuerunt, hanc fabulam amplificauit. Rudiorum ſiquidem ea eſt natura, vt ſana reijciant, deteriora vero complectantur.

CAPVT XVI.

1. *Germani primi huius fabulæ architecti.*
2. *Inter pontifices, & imperatores ſæpius inteſtina diſſidia.*
3. *Aliqui Epiſcopi imperatoribus ſemper adhæſerunt.*
4. *Marianus eo tempore, quo huiuſmodi vigebant inimicitiæ, ſcripſit.*
5. *Maieſtas pontificia fere ſemper imperatoribus ſuſpecta ſuit.*
6. *Inſignis cuiuſdam legati factum & dictum.*

1\. *Germani primi huius fabulæ architecti.*

NOn immerito hanc pſeudo-pontificẽ ex Germania ortum traxiſſe dicunt. Ex ea enim tanquam ex lernæa palude huius fabulæ inuentio prodijt. Tam varij ſiquidem & tammultiplices libri ab illius regionis hominibus ſparſi ſunt, vt in eos hoc Martialis dictum poſſit retorqueri.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura.

Facetè quidem Bibliander cum de huius pſeudo-pontificis natali ſolo ſcribit. Hoc vno portento, ait, Germaniæ felix omen & augurium effloruiſſe, Germanos ſcilicet homines primos omnium meretricem Babylonicam reiecturos, verius (vt opinor) dixiſſet, hæreſim effœminatam amplexuros. Itaque Germani, vt auctoritatem Pontificiam, cuius lumen tenebras Imperatoribus ſuis offundere ægrè

dere ægrè videbant, modis omnibus deprimerent, multa de Pontificibus à veritate aliena ſcripſerunt. Quantum deſudarunt, vt Imperatorum ſuorum ſedem in Romana ciuitate olim orbis domina & Cæſarum domicilio reponerent? Quoties Pontifices, vt eos in officio continerent, ſe priſtinam Imperatoribus Orientis, quam ante Caroli magni tempora obtinebant dignitatem, reſtituturos, & Imperium vniuerſum Conſtantinopolim iterum translaturos grauibus verbis minati ſunt? Hinc illæ funeſtæ, quæ inter Gnelphos & Gibellinos exarſerunt & vix extinctæ ſunt diſcordiæ, initium ſumpſerunt, quorum alij ſe Pontificis, alij Imperatoris partes tueri dicebant.

Præterea cum ſæpius anathemate percuſſi tanquam hæretici & ſchiſmatici ab Eccleſiæ corpore reuellerentur: quod Frederico ſecundo, Philippo, Conrado, Othoni quarto, Ludouico Bauariæ duci, Henrico quarto & quinto contigit, iugum Apoſtolicæ ſedis acerbiſſimum putabant. Imperatores quoq; ſæpius in Pontifices conſpirarunt, & maledictis inſectati ſunt. Quanto odio Henricus quartus in Gregorium ſeptimum exarſerit ex eiuſdem inuerecundè in Pontificem iactatis probris conſtat. Adhuc hodie Frederici & Gregorij toto orbe decantata leguntur carmina, quibus ſibi male ominantur. His enim verſibus Fredericus Gregorium affatur.

2. Inter Pōtifices & Imperatores ſæpius inteſtina diſſidia

Roma diu titubans varijs erroribus acta,

Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Talibus autem Gregorius ſapienter reſpondet.

Niteris incaſſum nauem ſubmergere Petri,
Fluctuat, & nunquam deſinet eſſe caput.

Vrget acrius iterum Fredericus:

Fata volunt, ſtellæque docent, auiumque volatus,
Quod Fredericus ego malleus orbis ero.

Tela retorquet, & tanquam augur, & quidam Apollo, Pontifex infœlicem Frederici exitum vaticinatur.

Fata volunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

3. *Aliqui Epiſcopi Imperatoribus ſemper adhæſerunt.*

Hæc vero labes non in ſolis Imperatoribus; ſed in Epiſcopis etiam inhæſit, qui dum principum factionibus ſtuderent, multa arrogantius & ſuperbius in Romanum antiſtitem dicta, qualia pleraque ab Auentino & Illyrico collecta ſunt, ira perciti ſcripſerunt. Factiones hoc ſibi vendicant peculiare, vt in diuerſas partes inclinata hominum ingenia, quæcunque furor miniſtrat, ſcriptis euomant. Et ne peregrinis vtamur exemplis, cũ domeſticis abundemus; Cum potentiſſimus Galliarum rex Henricus quartus, nondum à Xiſto in Eccleſiæ gremium admiſſus fuiſſet, non defuit, qui Antixiſtum omni conuitiorum genere refertum in lucem ederet: iuſſit tamen Rex ſapientiſſimus qui tali hominum genere nunquam oblectatus eſt, vt Satyrica huiuſmodi commenta tenebris obruerentur ſempiternis. Si tamen aliqua huius libri exempla-

emplaria in poſteros hæreticos perueniant, eo tanquam mucrone ad plagas Eccleſię inurendas vtentur, & quæ falſo ab illo auctore ſunt conficta, vera prædicabunt. Verum omnes hi iniuriarum impetus tanquam ſi in firmiſſimum ſaxum medio mari expoſitum incumberent, inſtar vndarum, quæ nihil præter fremitum edunt, irriti & debilitati frangentur; ipſaque Pontificia maieſtas in altiori gradu poſita nunquam corruet. Sed ne longius aberrãtes pſeudo-Pontificem noſtrã deſeramus, quã perturbatum fuerit ſæculum, quo hæc fabula primũ ex latibulis erupit, videamus.

Quo igitur tempore Marianus primus huius commenti princeps & inuentor libros, quos poſteritati reliquit, exarabat, inter Gregorium ſeptimum firmiſſimam Eccleſiæ columnam & Henricum quartum Imperatorẽ ſeditionis flammam inteſtina vigebant odia. Henricus enim à Gregorio merito excommunicatus, furijs incenſus nihil præter minas & cædes anhelans VVormatiæ viginti quatuor Epiſcoporum conciliabulum coegit, in quo inter cætera decreta hoc vnum præcipuum ſancitum fuit, vt Gregorius Pontificatu deponeretur. Ne vero longius Imperatoris impunita audacia ſerperet, Romã legitimũ totius orbis aduocatũ eſt conciliũ, à quo Henricus imperio priuatur: & Archiepiſcopus Moguntinus, apud quem tanquam Mœcenatem Marianus degebat, fulmine Eccleſiaſtico percutitur, & anathemate damnatur. Henricus tandem

5. *Marianus eo tempore quo huiuſmodi vigebant inimicitiæ ſcripſit*

tandem in extremas anguſtias redactus, à principibus Imperij, qui ſenſim ab illo effluebant fere deſertus, & ſimoniacæ hæreſis, quã Henricianam vocabant, auctor habitus, ab omnibus derelictus, nullum præſentius remedium inuenit, vt abbas Vſpergenſis & Lambertus illius ætatis hiſtorici, & Platina reliquique, qui eum ſunt ſequuti, ſcripſerũt, quam vt ſummum Pontificem adiret, nudis pedibus ante eius ſolium ſe abijceret, veniã, quam hac via facile impetrauit, demiſſè peteret, obedientiamque ſolemni ritu D. Petri ſucceſſoribus iuraret. Henricus tamen ad priſtinam inſaniam redijt, & maioribus quã antea machinis Gregorium oppugnauit. Eo tempore multi quaſi agmine facto, viribus in vnum collectis, inaudita in Gregorium, quæ tota Germania volitabant, ſcripſerunt conuitia. Præcipui in eo grege fuerunt Vltranus Epiſcopus Norembergenſis, & Venericus, qui auctor illius libri, qui diſcordia Eccleſiæ & Imperij inſcribitur, cenſetur. Nunquam principibus patroni defuerunt, qui eam in quam eorum libidines & voluntates propenderẽt, cauſam, quamuis iniquam & profligatam, ſuſciperent. Aduerſarij vero noſtri hos ſolos probatos & integros ſcriptores eſſe dicunt, celebrãt & extollunt. Hos lõga oratione Mathias Flaccus Illyricus ſuſpicit, ſed tanquam alter Cyclops altero oculo orbatus, ne dicã, omnino tanquam Polyphemus excæcatus, veritatem contemplari non poteſt. Gregorium, quem

um,quem Hildebrandum nominant, ita abiectum,ruſticum,agreſtem, ferum depingũt, vt nulla terrarum ora etiam vaſta Africæ ſolitudo tale portentum protuliſſe videatur. Sed de his falſo, homini & pio & rerum gerendarum perito calumnijs impoſitis copioſius in noſtro Anti-chriſto egimus. Qui plura de eo indagare velit, Diuum Anſelmum, Othonem Frinſingenſem, Nauclerum, Lambertum, Leonem, & Hoſtienſem euoluat.

Sed ne illo infœlici Mariani ſæculo hæc tantum contigiſſe exiſtimemus, ad ſuperiora etiam tempora, quibus Ioanna vixiſſe fertur, cogitationes conuertamus. Ea etiam ætate Imperatores in Pontifices interdum male animatos videbimus. Dolent principes Pontificium honorem ciuili & politica dignitate eſſe ſuperiorem: Ideo præclare Gelaſius pontifex ad Imperatorem Anaſtaſium ſcribit. 5. *Maieſtas Pontificia fere ſemper Imperatoribus ſuſpecta fuit.*

Duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas; in quibus tanto grauius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis regiminibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem.

Hinc nata eſt ea, quæ apud bonos ſemper inualuit conſuetudo, vt in comitijs, in concilijs, in quolibet cœtu publico Eccleſiæ, cuius caput eſt Pontifex, primus locus, poſterior nobilitati aut magiſtratui ſæculari, cuius apex eſt aut Rex, aut Imperator aut princeps, tribuatur. Si vero vtrumque diadema inuicem

cem conferre velimus, tantum inter ſe diſtare, quantum aurum à plumbo, cum diuo Ambroſio dicemus. Sed aptam Innocentij comparationem huic loco intexamus, *Cum Deus cœlum id eſt Eccleſiam vniuerſam crearet, duo præcipue lumina aut duas dignitates formauit, pontificum authoritatem & regalem potentiam: ſed ipſa quæ diebus præſidet magis eluceſcit, ita vt tanta inter Pontifices & reges denotetur differentia, quanta inter Solem & Lunam.*

Qui Imperatoriæ voluntati obſequebantur, in contrariam opinionem ferebantur: & orbem vniuerſum Imperatoria & regia auctoritate tanquam Atlante aut baſi firmiſſima fulciri opinabantur.

6. *Inſigne cuiuſdam legati factum & dictum.* Sæpius in contentionem honoris cum Pōtificibus Imperatores venerunt. Vt enim cœlum, aiebat Virgilius noſter Gallicus Ronſardus, duos Soles non patitur, ſic nec terra duas ſupremas poteſtates auctoritate ęquales. Romanus autem Poeta ſic cecinit,

Omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Difficile enim eſt tam late potentes magiſtratus vno pacis vinculo coniungere, & à metu, quem ſemper præſentem auſpicantur, omnino liberare. Alter alteri ſe præferre, ſublimius ſe attollere, vires maiores induere perpetua contentione ſtudet. Ideo legatus quidam Hiſpanus Clementi ſeptimo, qui de mora, quam Imperator Romam vocatus longius trahebat, grauiter conquerebatur, ſapienter

Digitized by Google

ent[illegible]x acute reſpondit; Pontificiam maie-ſtatem oliuæ ſibi videri ſimilem, quæ vernanti folio & vbere fructu ſemper vireſcit; Imperatoriam vero dignitatem cum quercu procera & robuſta conferebat: quæ tempeſtatum, ventorum & procellarum impetus, qui eam penitus euellere aut confringere videntur, longiſſimis radicibus & firmiſſimis nixa fibris non ita, vt reliquæ infimæ arbores formidat. Si vero, vt aiebat Hiſpanus ille orator, hæ arbores in eodem ſolo & loco non multum remoto vicinæ ſerantur, aut altera cito areſcet, aut nullos fructus, vt experientia patet, vel exiguos pariet. Eamque ob cauſam ſatius eſſe, vt vnicuique ſuus honor detur, vtramque longiori interuallo ſeparare. Hoc vero dictum è ſacris AEgyptiorum ſymbolis & hyerogliphicis deprompſerat, qui quoties innatum & inueteratum odium exprimebant, toties oliuæ ſurculum cum querno ramo intexebant. Fuit quoque hoc Mœcenatis, vt eſt apud Plutarchum, ſapiens dictũ, ea quæ ſunt in arduo loco poſita inuidiæ patere, in res altas potiusquã in humiles Iouẽ fulmen iaculari: quo vno dicto innuebat ſupremos principatus ſibi vicinos vix periculo vacare. Pleraſq; alias contentiones eodẽ fere tẽpore ortas, quo Polonus de hac pſeudo-põtifice ſcripſit, multis in locis notaui. Earũ maxima mihi videtur, quæ inter Ludouicũ Imperatorem & Ioannem vigeſimum ſecundũ Cadurcenſem acrius exarſit. Ludouicus quippe

ſchiſ-

ſchiſmate Eccleſiam diuiſit, & Nicolaum ſeptimum Pontificem creari, multaque in Romanum probra iactari pręcepit. Ex eo autem diſcordiarum fonte, ea quæ à multis auctoribus in Apoſtolicam ſedem contorta ſunt, cōuitia fluxerunt. Odium enim & inuidia tanquam indomiti equi iugales, qui nullo fræno coerceri & contineri poſſunt, & Eccleſiæ ſeueram ac magiſtram manum ſubterfugiũt, præcipites animos quocunque impetus rapit, miſerrime trahunt.

CAPVT XVII.

1. *Germanorum in Pontifices odium vnde ortum.*
2. *Græcorum & Anglorum ſacerdotum matrimonia.*
3. *Aliud in auctores Pſeudo-Pontificis Ioannæ argumentum.*
4. *Nicolaus magnus acerrimus libidinoſorum ſacerdotum hoſtis.*
5. *Germani inter antiquos ſoli de Ioanna egerunt.*
6. *Germanorum ingenium & natura.*

1. Germanorũ in pontifices odium vnde ortum,

MEa quidem ſententia alia potuit eſſe occaſio, quæ Germanorum ſacerdotum animos, à pontificibus eo, quo par eſt honore colendis abalienauit: non pauci enim presbyteri Germani auitæ & antiquę Eccle-

Eccleſiaſticæ diſciplinæ parúm cupidi & amã tes multorum annorum ſpatio cælibatum traditionibus Apoſtolicis, concilio Nicæno primo anno trecenteſimo & viceſimo quinto, & pijs pontificum ſanctionibus confirmatum, quibuſcumque potuerunt machinis oppugnarunt. Hoc idem præſtant in Germania hæretici, qui certiſſimam Anti-Chriſti notã à D. Paulo traditam eſſe dicunt, caſtitatis votum emittere, cælibatum colere, à matrimonio abhorrere. Epicuri de grege porci à Luthero hanc præclaram doctrinam hauſerũt, qui libidine furens monaſterij clauſtra perfregit, & à vita functo duce Saxoniæ, cuius aſpectum formidabat, omni pudore exhauſto, Catharinam Borram monialem ſacrilegis nuptijs ſibi copulauit. Prioribus autem temporibus, vtpote à Carolo magno frequentibus prælijs fracti & vi & armis ad fidem Catholicam amplectendam & iugum Eccleſiæ ſubeundum compulſi, cum noui eſſent Chriſtiani, durum eis erat ab illecebris & à complexu muliebri corpora auocare. Quæ enim in Septentrionem, vt Ariſtoteles ſcripſit, vergunt nationes, rudiori quadam natura efferæ cupiditatibus rapiuntur, quibus interdum, ea qua par eſt ratione non dominantur. Id in Thracibus, Moſcouitis, & alijs remotioribus populis Munſterus religionis deſertor obſeruauit, quorum impetus aut appetitus in fœdum hunc voluptatis ſenſum auidius feruntur. Germanorum igitur natura (nolim

L tamen

tamen de multis, quos & modeſtos, & ad virtutem natos eſſe ſcio, in præſentia loqui) eo propendet vt compotationibus, conuiuijs, comeſſationibus, & abdomini curando liberius vacent. Vno ſpiritu capacius poculum abſorbere, eadem cæna plures exhaurire cyathos, diutius menſam producere apud eos honori vertitur. Hinc tanquam ex fomite vehementior accenditur libido.

a. *Græcorum & anglorũ ſacerdotum matrimonia*

Præterea cum Poloniæ & Pannoniæ bellicoſiſſimis nationibus eſſent vicini, ipſi quoque Martia virtute præditi, in ſua ſententia obfirmati ſedis Apoſtolicæ imperium minus reuerebantur. Deinde ad Græcorum mores tanquam æmuli ſe conuertebant, apud quos ſacerdotes aliqui coniugati ſacris operantur. Non quidem ea lex communis eſt omnibus, vt quibuſuis presbyteris ad cõiugium liceat aduolare, quemadmodum popularis ſententia percrebuit. His ſolis ſacerdotibus Græcis fæminarum vſus & contubernium conceditur, qui coniugati, conſuetudine eorum id permittente, ſacris initiati ſunt, & reliquum vitæ tempus Eccleſiaſticis muneribus dedicarunt. Multum tamen auctoritate, dignitate, & priuilegijs ab alijs ſacerdotibus, qui caſtitatis voto ſe obſtrinxerunt, differũt. Nam neque principum Eccleſiaſticarum dignitatum munera obire, neque aliorum confeſſiones excipere illis permittitur. Hic nihil de Angliæ Epiſcopis & Archiepiſcopis loquor, quibus Elizabetha regina copiam

vxores

vxores ducendi fecit ampliſſimam. Nihil dico de Galliæ Miniſtris quibus potius igni & aqua quam vxoribus interdicas. Hac, vt cum poeta loquar, data porta ruunt multi, & Apoſtatæ facti magis nefarios amplexus, quam hæreſim ſequuntur. Vt tamen auaritiæ & diuitiarum cupiditati frænum Angliæ regina inijceret, publico edicto ſanciuit, ne quis Epiſcoporum aut Eccleſiaſticorum matrimonio iunctorum liberis aliquid bonorum præter auita patrimonia poſſet acquirere. Parentes autem Epiſcopi, ne filios nudos & inopes relinquant, non ſuo ſed amicorum & aliorum nomine pecunia annumerata quæcumque poſſunt bona emunt. Hacque fraude pœnam, qua talia bona haſtæ & fiſco ſubijciuntur, calide fugiunt. Eorum vero vxores & liberi nullo fere apud populum in pretio habentur. Itaque ſacræ hæ, quæ cælibatū imperabant, leges, Germanorum animos, vt Pōtificibus infenſi eſſent, exulcerarunt. Longo autem tempore hac de re inter eos, & Pontifices pugna exarſit. Huius rei ſunt teſtes eruditæ Nicolai Magni epiſtolæ, & fœda Vdalrici, aut Hilderici qui partes Germanorū defēdendas ſuſcepit, reſponſa: fœtum tamen non Hilderici, ſed illius nomine à corruptore aliquo ſuppoſitum, quamuis Illyricus liberalis in mentiendo ſe αὐτόγραφον vidiſſe teſtetur, bonus, vt opinor, augur exiſtimarim. Ex Hermano enim Contracto & abbate Veſpurgēſi, clarum eſt, Vdalricum epiſcopum anno non-

gentesimo vigesimo quarto vixiſſe, Nicolaũ autem Magnum anno 867. vita functum fuiſſe. Qua igitur ratione Nicolai Magni decretis ſe opponere, argumentis contrarijs labefactare, ſingulis partibus respondere potuit? Si quis plura deſiderat Alanum Copum in ſuis Dialogis, & Eſpenceum in libro de continentia legat.

3. *Aliud in auctores pſeudopontificis Ioannæ argumentum.*

Quiſquis autem illius epiſtolę auctor fuerit, nunquam Ioannæ pſeudo-Pontificatum, ſi in rerum natura fuiſſet, volens prætermiſiſſet, ſed tanquam firmum in acie argumentum Nicolao obieciſſet. Quinto poſt eam anno Nicolaus in Pontificatu ſedit, nulluſque latior debacchandi campus ab aduerſario inueniri poterat. Aduerſarij quidem noſtri, in quorum numero Baleus acrius vrget, Nicolaum primum omnium Clerum ad cælibatum compuliſſe fabulantur. Sed ne hoc quidem Vdalricus auſus eſt cogitare. Catholicis omnibus conſtitutionem apoſtolicam eſſe patet. Itaque huius epiſtolæ ſcriptor, pari & eadem audacia, Nicolao fractas huius meretricis libidines obieciſſet, qua periculum caſtitatis amittendæ, ſi legitima prohibeantur matrimonia, proponit; ſcortationes ſubijcit, adulteria & inceſtus profert. Sed vbique pericula imminent, ſi legum repagula infringantur. Lex qua cælibatus præcipitur, pia, ſancta, & iuſta eſt. Nec in eam culpa aut vitium eſt retorquendum, ſi aliqui abdomini & voluptati nati, poſt nuncupatum continentiæ votum,

fœdos

fœdos complexus expleant. Sed quæ noua eſt hæc & inaudita calumniæ & querimoniæ forma? quis excogitatus religionis melioris formandæ modus? quæ adinuenta recentioris Reipublicæ norma, vt lex ea omnino tollatur, quæ à multis violatur? Si huic conſuetudini locus detur, omnium legum diſciplina corruat neceſſe eſt. Viuet orbis ſine legib⁹, pro libidine quælibet res geretur, omnia concident. Itaque vel lex qua cælibatus præcipitur, eſt reſcindenda; vel mulieres ab orbe exterminandæ. Sic ſe geſſit quondã Thraciæ Rex Lycurgus, qui vt immoderatam bibendi cupiditatem refrenaret, & ebrietatem penitus amputaret, vites radicitus extirpari præcepit. Sed nihil eſt tam ſanctum, quo homines abuti non poſſint. Quid diuinius in homine, ait Cicero, ratione? Multi tamen ea abutuntur, ergo ab hominibus ea nobilior animi pars eſt ſeparanda? Sed ad Nicolaum redeamus.

Is cum laboranti Eccleſiæ vellet mederi, grauiter in primis ſcriptis epiſtolis eos, qui corpus libidinibus contaminarent obiurgauit: & cum adhortationibus minus efficeret, canone à ſe edito eos, qui concubinarij ſacerdotis ſacro intereſſent, excommunicauit. *O inſignem*, inquit impius Baleus, *hypocritam, qui hac promulgata ſanctione importunam ſuam libidinem, tanquam ſi pudicitia inter omnes ſtuderet, voluit tegere.* Quaſi vero, ſi ita, quæ de Ioanna narrantur, ſe haberent, Magnus ille Nicolaus nihil

4. Nicolaus Magnus acerrimus libidinoſorũ ſacerdotum hoſtis.

nihil de ſacro ab hac meretrice celebrato, nihil de ſeipſo, nihil de Epiſcopis, quos ſacrificio interfuiſſe Centuriatores contendunt, in eo contra concubinarios canone, dixiſſet. Vtique ne tantum malum inpoſterum contingeret, ſapientiſſimus Pontifex prouidiſſet. Hæc ſi, vt hoſtibus Eccleſiæ placet, Ioanna in Pontificatu ſedit, prima omnium fuit quę auguſtum hoc Petri ſolium turpi viuendi ratione contaminauit. E ſacro enim Pontificum catalogo, multos martyrij laurea inſignes, non paucos ſumma vitæ integritate præſtantes, pleroſque doctrina & moribus præclaros ſeligere licet: nullos autem fere ſceleratos.

5. *Inter antiquos ſoli de Ioanna egerunt.* Itaque hoc maxime aduertendum eſt, nullos ex antiquis auctoribus, ſi Germanos excipias, fictum hunc Ioannæ ſummum & ſacrum magiſtratum ſcriptis non dicam expreſſiſſe, ſed ne quidem adumbraſſe. Nihil Galli, nihil Hiſpani, nihil Itali, nihil Angli, nihil Græci, nihil Iudæi de hac fabula dixerunt. Hæreſes enim quæ crebræ & frequentes à Caroli magni imperio diuerſis temporibus in Germania exortæ ſunt, ſicut in Græcia, hanc Germanis hominibus de Pontificibus libere oblatrandi audaciam ſuppeditarunt.

6. *Germanorū ingenium & natura.* Mirum eſt eum populum ita omnis nouitatis auidum fuiſſe, vt quot in eo oppida & pagi, tot fere numerenter ſectæ: & ne alieno vtar teſtimonio, Lutheri, quem vt Apoſtolū colunt,

Digitized by Google

colunt, verba ex eo libro decerpta, quem de cœna contra Zuinglium ſcripſit, in medium proferam. *Nos enim Germani tales natura ſumus: quicquid nouum eſt arripimus eique adhæremus velut fatui: ſi quis prohibet, is nos ad hoc furentiores reddit? ſin nemo prohibeat, nos ipſi ſtatim exſatiamur & faſtidimus inhiantes ſubinde ad aliud nouum.*

Verum quid, O Martine, te & tuos in eas Syrtes & ſcopulos præcipites egit, niſi grata ea, quam prædicaſti, conſcientiæ libertas; libertas, inquam, omnia faciendi, dicendi, & quod peius eſt, credendi? Ita euenit vt tanquã furioſus & lymphatus, quam excogitauit inſaniam, religionem vocet. Centuriatores quidem in altera librorum ſuorum præfatione Lutheri partes & caſtra deſeri, omnes ſenſim effluere, ad alias ſectas aduolare conqueruntur. Sed ad celebre illud Vincentij Lyrinenſis Galli dictum cogitationes ſuas reuocare debuiſſent, qui hoc innatum eſſe hæreticis omnibus dicebat, vt ex nouitatibus prophanis voluptatem caperent; & dum fidei naufragium facerent, inſtar eorum, qui aquis ſubmerguntur, quicquid primo manibus occurreret, auide abriperent: Quantum autem Lutherum pœnituerit prima hæreſis fundamenta ieciſſe, & tam latum conſcientię libertati impune excurrendi campum aperuiſſe facile eſt colligere, ex quadã Eraſmi epiſtola, quã ad inferioris Germaniæ incolas ſcripſit, & in qua expreſſit quæ ab eodem Luthero,

Melanchthone, & Oecolampadio audiuit. Sed alterius eſt hoc inſtituti, ne à noſtro deflectere videamur.

CAPVT XVIII.

1. *Quam ſit ineptum quod de cathedra perforata aduerſarij obijciunt.*
2. *Nimis temere multi credunt.*
3. *Multa falſa primis Chriſtianis ſunt obiecta.*
4. *Quam ſint abſurdi & ſibi contrarij auctores qui de Ioanna ſcripſerunt.*
5. *Quid iterum hæretici Apoſtolicæ ſedi obijciant.*
6. *Ceremoniarum Pontificiarum libri.*

1. *Quam ſit ineptum de cathedra perforata aduerſarij obijciunt.*

VT rationibus adulterinis propoſitionem à veritate alienam aduerſarij confirment, & ridiculam Fabulam tanquam alicuius ponderis & momenti hiſtoriam rudioribus perſuadeant, argumentum, è quo nemo ſe expedire poſſit, cathedram ſcilicet quandam perforatam proponunt. Eam vero ceu alicuius Phydiæ, Mentoris, aut Appellis opus in ſublimi loco collocatam omnibus ſpectãdam obijciunt, & omni pudoris vinculo fracto, ſummos pontifices vix creatos in ea reponi dicunt, virilia illorum contrectari, & fauſtis vocibus acclamari, Pontificatu dignos cẽſeri. Hoc in conſuetudine eſſe tradunt, ne in poſterum mulier ſexu ementito in Pontificiam di-

am dignitatem irrepat. Imo Centuriatores longius progreſſi audent impudenter aſſerere, eum, qui tam turpi negotio vacat, lætitia geſtientem in hanc vocem erumpere, vir eſt. Pannonius impudens Pontificij nominis obtrectator hunc morem ſua ætate obſoletum his verſibus fatetur, quos ne religioſas aures offenderem, lubens præterirem niſi me; quæ in his continetur & tantopere ab aduerſarijs decantatur calumnia ad hos citandos inuitũ compelleret.

Non poterat quiſquam reſerantes æthera claues
Non exploratis ſumere teſticulis
Cur igitur noſtro mos hic iam tempore ceſſat
Antè probat quod ſe quilibet eſſe marem.

Baleus quoque & Centuriatores omnes hanc conſuetudinem abrogatam vltro concedunt, ſed dignam Epicurea, quam profitentur Philoſophia rationem ſubiungunt.

Quia non opus eo ſit; cum pellices, concubinæ & ſpurij certiſſimum dicant teſtimonium.

Amplam iniuriarum ſuppellectilem, qua eorum libri ſunt referti, prætermitto. Verba putida & obſcœna, quibus vtuntur, non refero. Neque enim cum Stoicis ſentio, qui, vt ait Cicero, nihil turpe, nihil fœdum, nihil flagitioſum, in verbis reſidere exiſtimabant. Qui ceremonijs, quæ in creandis ſummis pontificibus ſunt familiares, præſentes adſtiterunt, hanc curioſius, quam honeſtas poſtulet, hominem perſcrutandi & indagandi rationem confictam eſſe cognoſcunt.

Sunt tamen nonnulli ita natura ſua credu-
2. li,ne dicam hebetes & ſtupidi,qui hoc adhuc hodie obſeruari contendunt. Imo aliquos vidi, qui Romæ fuerant, & inſaniam quam ſecum aſportarant,non exuerant,adeo popu-lari & vulgari huic opinioni, quam à iuuentute imbuerant, addictos, vt ſe ſpectatores fœdæ huius ceremoniæ fuiſſe gratis mentirentur. Audiui ſuperioribus annis Franciſcanum quendam, virum alioquin minime malum, & ætate decrepitum iam quadraginta annorum ſpatio concionatoris munere functum,in media ipſa concione hanc fabulam tanquam veram populo proponētem,& malum quod Eccleſiæ hæc mulier inuexerat amplificantem.Hęc vero non fucato,ſed ſimpliciori,quam par eſſet animo, minus prudenter narrabat, & religioſorum, quibus præerat,animis hanc fortaſſis opinionem impreſſam reliquiſſet, illi vero ſemel conceptam poſteris tradidiſſent, quod enim de fama à Virgilio dictum eſt,idem de opinione ſentiendum exiſtimo.

Nimis teme re multi credunt.

Tam ficti prauique tenax, quam nuntia veri.

Egi familiariter cum eiuſmodi Franciſcano,& vix ſententiam, quam imbiberat, hoc etiam ei communicato libro,ex mente euellere potui.Itaque ſi hi reprehenſione digni ſunt,qui nullo rationis pondere adhibito temere quibuſuis rebus fidem adhibent; quantomagis ij damnandi ſunt,qui ſine vllo delectu hi-

ctu hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribunt, & ineptijs libros ſuos fartos diſſeminant? In eo ridiculorum auctorum grege annumerandus eſt is, qui à paucis annis, harmoniam magiſtratuum Romanorum in lucem emiſit: qui quãuis Catholicus ſit, ignorantia tamen populari & plebeia laborat, dum ait electos pontifices antequam vltimis ſuffragijs probentur, & confirmentur, prius certum viri ſpecimen oſtendere: hancque à pontificatu Ioannæ in Eccleſia conſuetudinem inualuiſſe.

Verum ſexcentis annis antequam vlla huius mulieris fictæ celebraretur memoria, teſtatur Arnobius, in his, quos aduerſus gentiles ſcripſit libris, ſimilem fere Chriſtianis iniuſtã fuiſſe calumniam. Eandem criminis notam primis Reipublicæ Chriſtianæ ſæculis Cæcilium gentilem Chriſtianis obieciſſe Minutius Fœlix ſcriptis mandauit. Hæc impia eorum erat accuſatio, Chriſtianos homines ſacerdotum & Pontificum ſuorum obſcœniora membra adorare. Hæretici quidem nos tanto crimine onerare non audent, ſed quam proximè ad eorum impietatem accedunt, dũ ſummos pontifices lætis vocibus viros eſſe, in conclaui ab aliquo acclamari contendunt. Hæc quidem cum nihil præterquam inſignem & fictam criminationis labem contineant, potius eſſent contemnenda, quàm diluenda; ſed ne eorum animis aliquis adhæreſcat ſcrupulus, & antiquos & recentiores, qui de ſummorum Pontificum electione

3. Multa falſa primis Chriſtianis ſunt obiecta.

ege-

egerunt, attentius peruoluant, & hanc fabulam nugas eſſe hæreticas cognoſcent.

5. *Quid iterum hæretici apoſtolicæ ſedi obijciant.*

Equidem inter aduerſaria mea, & antiquos meos manuſcriptos libros, commentaria cuiuſdam à ſecretis, amanuenſis Pauli quarti habeo, in quibus omnes, quæ in creandis pontificibus ſeruantur ceremoniæ, longa oratione explicantur. Hanc tamen vir ex athei Machiaueli ſchola oriundus, in repræhendendo acer, in vitijs aperiendis durus, in deridédo acerbus, numquam ſubticuiſſet, ſi vel minimam huius rei famam, vel popularem auram ſparſam audiuiſſet. Sed aduerſariorum rationes perpendamus, qui inuita, vt dicitur, Minerua, & refragante natura, fabulæ inani & imagini mortuæ vitam impertiri moliuntur. Hæc eorum eſt in prima & vltima acie, tanquam arx munitiſſima, collocata ratio; veteres illius ætatis ſcriptores pudore præpeditos voluiſſe Pontificum infamiam ſilentio tegere, & ſedis Apoſtolicæ, quam auidius adamabant, exiſtimationi conſulere, nihilque de Ioanna dicere. Quis auſus fuiſſet, inquiunt, aut loqui, aut ſcribere in eos, quorum præſentia cælum præteritum, & terra exanimata cótremiſcit?

Eadem manu videntur dulci titulatione blandiri, & eadem vulnus infligere. Dicunt enim, vt tam turpis flagitij memoriam poſteritas aleret, & à tali periculo caueret, perforatam cathedram erectam fuiſſe, in qua delecti pontifices collocati, an viri ſint, ab aliquo explo-

explorantur. Hæc ſi vnquam ſedes tam turpi operi deſtinata Romæ viſa fuiſſet, nihil ad au ctoritatem firmius, ad memoriam diuturnus, ad probationem verius reperiri poterat. Alia teſtimonia non erant quærenda, libri non erant citandi, auctores non erant producendi. Illa. n. cathedra ſemper ſtabat, libri facile diffluunt. Illa omniũ oculis patebat, hi paucorũ manibus tenẽtur: illa in præcipuo tẽplo vrbis omniũ dominæ conſeruabatur, hi in paucorũ bibliothecis, quas vetuſtas delet, reponũtur. Senſuum quippe omniũ acerrimus viſus, vt aiunt Philoſophi: ea, quæ perſpexit, fidelius conſeruat, quam auditus, è quo res perceptæ cito auolant. Ideo res viſæ, potius quam auditæ, cum de teſtimoniorum pondere agitur, firmiorem auctoritatem ingenerant. Itaque toties hæc ceremonia in ſummorum Pontificum creatione vſurpata, nullius oculos effugiſſet, & ſolus cathedræ intuitus rem hanc in ancipiti loco deliteſcere non permiſiſſet. Rerum ſiquidem formæ, quæ à nobis videntur, ita alte in mentibus noſtris imprimuntur, vt nullo diſputationis acumine, nulla argumentorum ſubtilitate, nullo rationum pondere poſſint deleri. Si huiuſmodi ideæ in popularibus animis inſederint, qui ſenſu maxime impelluntur, nunquam obliterantur. Itaque abſurdum fuiſſet, ſi tãti facinoris recordationem voluiſſent obliuione conterere, ſedem excitare, quæ perennis huius flagitij teſtis fuiſſet. Sed dum hoc aduerſarij obijciunt,

aciem

Digitized by Google

aciem ingeniorum ſuorum, quam acutam iactant, obtuſam & hebetem omnibus exponunt. Talia enim ſunt calumnię arma, vt ſpõte ſua retundantur. Aiunt vero hanc cathedram non ideo erectam fuiſſe, vt Ioannę memoria in poſterorum animis floreret, ſed ne in poſterum tantum ſcandalum in Eccleſia contingeret: quaſi vero hæc poſſint à ſeipſis diuelli & ſeparari. Nunquid cum de lege agitur, de delicto tractatur? cum de remedio diſputatur, de morbo ſermo inſtituitur? *Lex*, vt diuus Paulus ait, *peccatum*, *& pœna ſceleratis propoſita*, vt Tacitus dicit, *ſcelus arguit*.

6. *Ceremoniarum pontificalium libri* Sed vt videamus quam ſint religioſa, quã grauia, quam ſancta, quæ ab Eccleſia ſunt ſancita decreta, non autem ridicula & vilia, vt auitæ religionis hoſtes oblatrant, lubet breuiter & vere, præcipuas, quæ in Pontificum creatione elucent, ceremonias percurrere. Has enim pluribus, M. Electus libro eleganti ea de re edito tractauit, & Leoni decimo Pontifici maximo obtulit. In eo natiuis coloribus omnia depinguntur, quomodo ſacer ille cœtus congregetur, quis modus in electione ſeruetur, quam varia ſint ibi officia, qua pompa ſupplicationes decernantur, qua celebritate Pontifices in vrbes admittantur; qua forma imperatores, reges, principes, & legati excipiantur, qua ratione pax promulgetur; quo pacto bellum indicatur. Denique minima quæque, ſeu ad publicam ſeu ad priuatam & domeſticam adminiſtrationem ſpectent, ampliſ-

Digitized by Google

pliſſimè declarantur. Neque vero hi libri tãquam antiquorum Aruſpicum & Hetruſcorum codices, à quatuor aut quinque ſacerdotibus diuinandi peritis aſſeruantur, ſed omnium oculis exponuntur. Hos & mulieres & pueri & plebei omnes manibus poſſunt tractare. Verum hoc ſuo iure à me caput ſeparatum poſtulare videtur, vt in eo lectoris animus tanquam in iucundiſſimo diuerſorio recreetur, & aliquantulum à Ioannę toties repetita fabula, quæ parit nauſeam, auocetur.

CAPVT XIX.

1. *Sacri conſiſtorij in conclaui cœtus.*
2. *Ceremoniæ, quæ in Pontificum electione ſeruantur.*
3. *Ceremoniæ, quæ in Pontificis conſecratione adhibentur.*
4. *Michaelis Montani mors bonis omnibus acerba.*
5. *Quam breuis ſit Pontificum vita.*
6. *Præclara Petri Damiani oratio.*

Pontifice vita functo, nouemque diebus in iuſtis mortuo perſoluendis, pompaque funebri ducenda, alijſq; negotijs componendis, omnino decurſis, decimo ineunte die Purpurati patres de alio eligẽdo deliberaturi conclaue ingrediũtur. Vt decimo die in cõclaue ſe abderẽt, cępit mos inualeſcere tempore Grego- 1. *Sacri conſiſtorij in cõclaui cœtus.*

Gregorij decimi, ne Eccleſia ſe in eas anguſtias reuocatam videret, in quas poſt obitum Clementis quarti, cum lugubri omnium ſpectaculo, miſerrime inciderat. Vbi Cardinales, qui eo tempore Romæ degunt conclaue ſunt ingreſſi, porta nouo ędificato muro c'auditur, tenuis tamen feneſtra relinquitur, qua neceſſaria inferantur, non diſſimilis ei, quæ in religioſarum fœminarum cœnobijs ſpectatur, dum ad eas colloquij gratia patet aditus. Si aliquis vero Cardinalis è remotiori loco eò appellat, murus, quo porta eſt circumſepta, deſtruitur, eoque intromiſſo ſtatim inſtauratur. Hoc vero ſapienter excogitatum eſt, vt omnis via factionibus & corruptelis, quæ à principibus aut alijs parari poſſent, præcludatur, & locus Spiritui ſancto, cuius afflatu electio emergat, ampliſſimus detur. Felicis recordationis Pontifices Nicolaus ſecundus, Gregorius decimus, Clemens quintus, & Clemens ſextus ſacras multas ſanctiones hac de re promulgarunt: non tamen ita aditus intercludere potuerunt, quin interdum ambitio, quæ occultè ſerpit, intus influat. Nullo enim loco excluditur, & nunquam, vt ait Thucydides, niſi nobiſcum extinguitur & moritur. Sæpius virtutis & pietatis inuolucris tecta fores audax reſerat, & in rerum ſacrarum commercium ſe inſinuat. Omnes dignitatum gradus inuadit, receſſus etiam abditiſſimos petit, loca religioſiſſima ingreditur, & nihil tam ſanctum eſt, quod ſpiritu contaminato

non

non deturpet. Hæc ſæua peſtis omnium perturbationum acerrima, maiorum dignitatũ eſt comes aſſidua, earumque ſæpius ruina. Celeberrimus ille Thimon Athenienſis, eam primum omnium, quæ vniuerſum orbem perturbarunt, malorum elementum vocabat. Itaque nec mirum nec inſolens videri debet, ſi in ſacrum conclaue pedem inferat, cum in regias aulas, in retruſa cænobiorum clauſtra, in loca omni ex parte religione munita irrũpat. Illa interdum non minus ſub vili & abiecto petaſo, ſub cinericio Franciſcani & Capucini cucullo, quam ſub purpureo Cardinalis pileolo deliteſcit. Itaque vt diuerſarum partium & principum ſtudia, quæ in varia trahuntur, impediantur, die ac nocte, Epiſcopi, legati, alijque huic muneri obeundo deſtinati, pro foribus excubant, qui omnia, quæ inferuntur, ſumma diligentia perſcrutantur. Alios ad aurem ſeducere, ſine arbitris cum illis agere, ſcriptas, quæ prius ab omnibus non legantur, mittere literas, non permittitur. Hoc vnum tantum periculum imminet, ne clauis aurea, cui nihil eſt abditum, nihil inuium, nihil reconditum, penetralia ipſa reſeret.

2. *Ceremoniæ quæ in Pontificum electione ſeruantur.*

Quam primum omnes in conclaue ſe receperunt, ad audiendum ſacrum, quod de ſancto ſpiritu celebratur, ſe conferunt. Cum tamen primus in conclaue aditus & ingreſſus in diem Paſchatis incidiſſet, eo tempore, quo Sixtus vltimus Pontifex eſt deſignatus, in du-

bium reuocatum eſt, vtrum de Paſchate, an vero de ſpiritu ſancto ſacrum fieret. Sed ne longior mora protraheretur, quæ maxima olim damna, poſt obitum Clementis quarti peperit, & ne diutius, quam eſt, ſedes paſtore viduata remaneret, & Roma ipſa ſolitudine horreret, eò omnium inclinauit opinio, vt de ſpiritu ſancto celebraretur. Gregorius decimus in concilio Lugdunenſi ſapienter decreuit, vt ſi intra tres dies electores de aliquo eligendo non conuenirent, de victu obſonia demerentur, & nihil præter panem & vinum illis ſuppeditaretur. Clemens tamen ſextus cum multos Cardinales ætate decrepitos, & morbis familiaribus tentatos in vitæ periculum adduci videret, de ſeueritate illa aliquid remiſit, & vt ad panem & vinum vnius generis cibi & fercula adhiberentur, prudenter conceſſit. Quatuor autem vijs electio inſtituitur, quarum vna, vt trita vocabula vſurpem, compromiſſum, altera ſcrutinium, tertia acceſſio, quarta adoratio vocatur. Prima parum frequens & vſitata eſt, cum communi Cardinalium omnium conſenſu & promiſſo ſolemni, aliquibus, quem voluerint & aptum iudicarint, pontificem facultas eligendi mandatur. Talis vero poteſtas tandiu illis ampla conceditur, quandiu cereus accenſus collucet, qui vbi cõſumptus extinguitur, ipſa quoque facultas terminatur. Hac via Gregorius, de quo ſupra egimus, electus eſt, cum Diuus Bonauentura omnes Cardinales in eam ſen-

ten-

tentiam pertraxiſſet, vt in ſex maxime cordatos tota eligendi auctoritas referretur. Scrutiniũ vero dicitur, cum ſacro abſoluto, quilibet electorum ſuffragium ſuũ in parua ſchedula in orbem complicata proprio chirographo ſubſcripta & obſignata defert, quã in calicem altari proximo impoſitũ conijcit. Schedulæ demum omnes, in quibus nomina eorũ, qui eliguntur exarata ſunt, à Cardinaliũ Decano, quem ſex aut quinque alij delecti comitantur, à calice extrahuntur. Et in menſa altari proxima cui aſſident explicantur. Ille autẽ qui tertiam & alteram tertiam partem ſuffragiorum & vnũ præterea ſuffragium, vt ab Alexandro tertio anno 1179. decretum eſt, reportauit, in pontificio ſolio collocatur. Si prę ſcriptus ille ſuffragiorum numerus deſideretur, in craſtinum electio poſt ſacrũ differtur, ſemel enim in die ſacrificio peracto ſcrutinium inire permittitur. Si vero hac via ſæpius tentata irritus concidit conatus, purpuratus aliquis pater conſurgit, & quem deligendum pontificem & tanto muneri præficiendũ eſſe ſentiat, voce contenta nominat, cuius opinionem ſi maior pars amplectatur, electio feliciter terminatur. Et talis via Acceſſio nuncupatur, ſicuti & apud Romanos diſceſſio, cum Senatores in alterius ſententiam pedibus ibant. Poſtrema deniq; eligendi ratio, Adoratio vocatur, quæ vltimis his temporibus frequentius; vtpote reliquis facilior, vſurpatur. Hac via Iulius tertius, Marcellus ſecũdus, Paulus

lus quartus,& poſtremi fere omnes pontifices delecti fuerunt.Eo autem tempore , quo Sixtus quintus Pontifex ſummus creatus fuit,inſignis in hac noſtra Aquitania hęreticus, tanquam ſi ſacrarum ceremoniarum ſpectator & Auguſti palatij cubicularius præcipuuſque camerarius fuiſſet, auſus eſt impudenter palam prædicare,nouum electum Pontificem ſupra altare inſtar alterius diuini numinis attolli,& manibus ſupplicibus ab omni Cardinalium,qui ad eius oſculandos pedes demiſſi corruunt,ampliſſimo cœtu adorari.Adiungebat deinde egregius veterator, eam vnam eſſe cauſam,qua,adoratione creati pontifices dicerentur. Quia ſcilicet tanquam noui Dij colerentur,& humeris , tanquam ſi eorum veſtigijs indigna eſſet terra , exciperētur.Verum ſacros harum ceremoniarum ritus in noſtro Anti-chriſto declarauimus : eos inde,qui velit,petat.Itaque, vt inſtitutum noſtrum perſequamur , ea eligendi forma quæ adoratio appellatur,hoc modo peragitur : aliquis Cardinalium,quem vult, è purpurato coetu in ſella ad hoc opus perficiendum parata collocat,& genu flexo manus eius oſculatur in hanc vocem erumpens, Ego te ſummum Pontificem deligo. Cum igitur honor, qui ſummis pontificibus debetur, illis à reliquis Cardinalibus exhibeatur,multaque modeſti & demiſſi animi ſigna,vt manuum oſculum,genu flexio,honorifica ſalutatio & ſimilia ſummæ reuerentiæ argumenta proferantur,

tur;ideo,vt in ſacris etiam litteris ſępius vſurpatur, adoratio cultus ille ciuilis dicitur. Si vero tertia Cardinalium pars & altera tertia eum qui in ſella repoſitus eſt, pontificem ſalutet,& electio perfecta,& ille ſummus Pontifex deſignatus cenſetur, ſæpius vnum ſolũ ſuffragium deſideratur,& an aliquis alius, ad eum qui ſedet, ſalutandum accedat, diutius ab omnibus expectatur, qui ſi acceſſerit ſua opera Pontificem creatum prædicare poteſt. Hac noſtra ætate poſtrema pontificis creatione Cardinali à ſancto Seuerino vna tantum defuit vox, qua aliquantulum expectata, & non impetrata, reliqua nihil ei profuerunt ſuffragia. In ſimilibus autem electionibus occulta diuinæ prudentiæ conſilia elucent, quæ electorum voluntates, in eam, quam nunquam præmeditati fuerant, partem, inuitas etiam trahunt. Spiritu enim ſancto tanquam certiſſimo viæ duce & comite ducuntur, nulla autem perturbatione, ſed ſolo afflatu diuino impelluntur. Hoc in Adriani ſexti electione, & Pij quinti creatione eluxit: qui cum antea ab alijs non ita colerentur, & inferiores reliquis familia & apparatu domeſtico deliteſcerent, cælo annuente Pontifices ſummo Eccleſiæ bono declarati ſunt. Cõtra vero ſæpius eum, in quem omnium oculi erant conuerſi, & quem vulgaris fama Pontificem futurum proclamabat, hoc ſacro honore priuatum vidimus. Cum autem è conclaui egrediuntur, rogati quam ob cauſam talem ſelegerint,

gerint, attoniti nihil præter ſpiritus ſancti afflatum & impulſum, quo ſe abreptos fuiſſe fatentur, in medium proferunt. Prima quidē creatio non ab alio quam à Dei filio ſalutis noſtræ vindice Chriſto facta eſt, qui Petrum ſibi vicarium delegit. Ab eo vero tempore, quo humanis ſuffragijs electio fieri cepit, ſi interdum in deligendo peccatum eſt, non integritati fidei, quam profitemur, non loci aut ſedis ſanctitati, non religioni, quam veram amplectimur, vitio vertēdum eſt, ſed noſtris peccatis, quæ quo minus ita probis & ſanctis magiſtratibus & principibus fruamur, ſolent impedire. Homines ſunt, qui hominem Pontificem eligunt, qui cum ſit communibus infirmitatis humanæ telis expoſitus, ſi mores ſpectes, errare poteſt, ſi fidem, cum eam ſartam & tectam Chriſtus Petro conſeruaturum promiſerit, labi & peccare non poteſt. Vt verò vſitatæ & peruagatæ aduerſariorum obiectioni reſpondeam, obſeruandum eſt, non in ſola ciuitate Romana, ſed in alijs etiam vrbibus, Cardinalium de eligendo pontifice cœtus poſſe fieri. Si enim in alia vrbe ſummus Pontifex è viuis excedat, tunc, qui ibi reperiuntur purpurati patres, in ſacram aliquam ædem aut templum coeunt, & de pōtifice creando agunt. Nec vero ſemper præſentes, ſed abſentes interdum aut Scrutinio aut Cōpromiſſo Pontifices renunciantur. Id ſuperiorib⁹ ſæculis in Gregorij decimi, Clementis quarti & quinti & noſtra hac ætate in Adriani ſexti

crea-

creatione obſeruare licuit. Vidi inter multa antiquitatis monumenta, quæ ab Arnaldo Pōtaco Baſatenſium Epiſcopo & pietatis & litterarum parente aſſeruantur, ἀυτόγραφον & natiuum exemplar decreti illius antiqui, quo Bertrandus Burdigalenſis Epiſcopus, poſtea Clemens quintus appellatus abſens Pontifex eſt renuntiatus. In eo Cardinalium, qui electioni operam dederant, chirographa, nomina, ſigilla, ſummo ordine digeſta conſpiciuntur. Itaque quando ſacra illa Cardinalium corona de pontifice eligendo conſentiens & concors eſt, is qui legitimis ſuffragijs electus eſt, ſi in conclaui cū alijs reperiatur, in cathedra huic negotio deſtinata collocatur. Confluunt è veſtigio Cardinales, genu in terram demiſſo eum honorificè ſalutant, manus oſculātur: & tanquam communem partem reuerentur.

Paulo poſt qui creatus eſt, nomen, quo maxime delectatur, ſibi aſſumit: quod vbi delegit, annulum piſcatoris ſibi traditum accipit, quo ſanctiones eas, quæ ante eius electionem factæ ſunt, ne irritæ habeantur, aut reſcindātur, in omnium conſpectu obſignat. His peractis primus Diaconus feneſtrā exiguam reſerat, & inde populo noui Pontificis creati nomē ſignificat. Interea veſtibus pontificijs induitur, in ſolio collocatur, eique aliquot libelli ſupplices offeruntur. Mitra demum redimitus, & ad altare poſitus, ab omnibus Cardinalibus ea qua par eſt, reuerētia ſalutatur. Tādē muro diruto, quo porta ſepta erat, ad D. Petri

3. Ceremoniæ quæ in pontificis conſecratione adhibentur.

Digitized by Google

tri templum longo agmine recta tendunt, vt hymnum, Te Deum laudamus, concinant, & Deo gratias, quantas animi capere poſſunt, maximas, agant. Cardinales iterum omnes, virique principes, alijque qui ibi adſunt illuſtrioris familiæ nobiles: poplite flexo ſignum crucis, quod in ſuperiori calcei parte impreſſum emicat, oſculantur. Dum hęc omnia peraguntur, varijque Pſalmi decantantur, & diuerſæ preces recitantur. Benedictione poſtremò populo beneuolè impertita ſummus Pontifex in ædes & tubiculum ſe recipit. Aliquibus verò decurſis diebus prout ſeſe offert occaſio, ſolemni ritu conſecratur, & diademate pontificio inſignitur. Imprimis quidem celeberrima pompa ad D. Petri templum deducitur, & cum è D. Gregorij ſacello egreditur, ceremoniarum magiſter ſtupis tenuiori virgæ affixis ignem admouet, & ad pontificē conuerſus, his eum affatur verbis, *Pater ſancte ſic tranſit gloria mundi*. Qua in re antiquos illos Romanos imitatur, qui imperatores ſuos ouantes & triumphantes his vocibus à tergo dum è ſacra via in Capitolium vehebantur compellabant; Vos eſſe homines mementote. Hanc vero conſuetudinem Romani, vt Petronius Arbiter, & Auſonius adnotarunt, ab Aegyptijs acceperunt, qui in conuiuijs ne liberiori potu homines inſoleſcerent, ligneam imaginem, & in ea cadauer humanum incluſum præferebant, ſinguloſque conuiuas, vti ad illud ſpectaculum oculos reflecterent, admone-

monebant. Pius quidem tertiu, quaſi auguraretur, & præſentiret vltimum vitæ terminū, qui poſtea vigeſimo ſexto die elapſo ſubſequutus eſt, dum hanc ceremoniam attentius ſpectaret, vberrimè fleuit. Hic nihil dico de Vrbano ſeptimo, cuius auguſta amplitudo breui duodecim dierum circulo circunſcripta vix nata, extincta eſt. Hoc autem ritu, ipſo pontificatus initio fragiles hominum ſpes, breues humanæ vitæ terminos, inconſtantes expectationes. & vt olim quidam Stoicus dicebat, ſimulachra lutea inſigni arte polita, ſed leuia admodum eſſe præmouentur. Audemus tamen ſupercilio horrido Deum laceſſere, in aſtra caput attollere, & cælitibus minas inferre, cum tamen nihil præter fœtida vermium pabula exiſtamus. Præclarè quidem Simonides cecinit.

Ἄνθρωπος ἐὼν μήποτε φύσῃς ὅτι γίνεται
Μηδ' ἄνδρα ἰδὼν ἔσσομ χρόνομ ἔσσεται
Ὠκεῖα γὰρ οὐδὲ τανυπτερύγου μυίας
Οὕτως ἁ μετάστασις.

Verum enim verò quid hac vna ſacra ceremonia aptius, cum nihil aliud, vt ſapiens dixit, hæc vita cenſeatur quam bulla, quam fumus cito diffluens, & vt multi exiſtimarūt Philoſophi, quam repentinus venti impetus, qui ſtatim concidit, quam coruorum gregatim volantium crocitus ſubito erumpens, & illico effugiens, quam equi incitatius currentis lapſus, aut Aquilæ dum aere

liberiori fruitur, volatus, aut ſomnium, vox, ſignum, nubes, ſolis radius, vilior muſca, vuæ acinus, breuis voluptas, & tædium, quod præclaras, quas ſibi homines fingunt expectationes, & faſtum poteſt deprimere. Mors enim ſingulis momētis nobis inſidiatur, quouis in loco nos adoritur, nunquam nos liberos patitur, iunioribus non parcit, ętate ſumma decrepitis non indulget, & Pontificios dignitatum apices, non magis quam cerdonum viles officinas reueretur. Omnes enim homines eadem concretione mortali coagmentatos cōtemplatur.

4. *Michaelis Montani mors bonis omnibus acerba.*

Sed tota hæc diſputatio, & hoc Socraticū Philoſophandi genus ad Michaelem Montanum eſſet referendum; cuius omnia ſtudia in dolore contemnendo, in acerbitate fortunæ æquo animo ferenda, in malis ſuperandis, & morte ipſa, cum ei etiam præſens ſeſe obtulit aſpernanda, fuerunt collocata. Sed à paucis annis hoc ſplendidiſſimo, & ſcientiæ & eloquentiæ Sole Gallia, & noſtra hæc maximè Aquitania eſt oborta. Quem niſi acerba mors extinxiſſet, quos de Stoica & Chriſtiana Philoſophia inceperat libros, perfeciſſet. Vt erat vir rerum tractandarum peritus, & omni cultioris vitæ laude præditus, ſic ſe aduerſus omnes mortis impetus, & impendentes fortunæ aduerſæ procellas munierat, vt nunquam de ſua ſede deturbatus viſus fuerit, eundemque vultum vbique retinuerit. Noſtri autem non eſt inſtituti illius laudes percēſere, Mu-

re, Muſarum eſt potius quas coluit, aut alterius Homeri, tantam ſegetem percurrere. Ad argumentum igitur noſtrum redeo. Hic igitur ignis leuiori materiæ adhęrens ſubito accenſus, & eodem ferè temporis puncto extinctus, & verba quæ ceremoniarum Antiſtite proferuntur, Pontificibus tãquam certo ſymbolo innuunt, nihil eſſe tantam honoris altitudinem, præter fictam & adumbratam felicitatem, & folij viridis, quod citò flacceſſet, inanem pulchritudinem.

Breuis vitæ terminus eorum, qui Pontifices anteceſſerunt eum, qui noua electione creatus eſt, tacitè ne tanta dignitate inſoleſcat, & vt ſuo fungatur munere, ſibi ac gregi ſit attẽtus, admonet. Occulto enim diuinæ prouidentiæ conſilio factum eſt, vt nullus pontificum tanto tempore clauum Eccleſiæ adminiſtrarit, quanto D. Petrus idem gubernaculum rexit, qui viginti & quatuor annis, menſibus quinque, diebus duodecim in eo ampliſſimo honore vixit. Quam proximè quidem ad eum numerum Adrianus acceſſit, qui in pontificatu annis viginti & tribus, menſibus decẽ, diebus decem & ſeptem ſedit. Hic vero impudentiam cuiuſdam Guilielmi Vuicleffi magiſtri, & ſpurciſſimi Veleni tacere nõ poſſum, qui ſparſis libris D. Petrum nunquam Romanum fuiſſe Pontificem auſi ſunt ſcribere. Verum hæreticis hominibus ita vt cogitare, & dicere, ſic ſcribere, & deſipere ad nutum licuit. 5. *Quam breuis ſit pontificum vita.*

Roga-

6. *Præclara Petri Damiani oratio.*

Rogatus olim magnus ille Petrus Damianus Cardinalis Alexandri ſecundi literis quam obcauſam tam cito Romani Pontifices ex hac vita in aliam migrarent, & ad eam quã alij multi attingunt ætatem, non peruenirẽt, egregium hoc, & cedro dignum reſponſum reddidit. Hoc ſibi diuinam prouidentiam ea de cauſa ſtatuiſſe videri, vt nobis ob oculos poneret, mentibuſque noſtris timorem incuteret mortis, & quam ſpernenda vita hæc tẽporalis eſſet, in ipſo etiam mundanæ gloriæ principe demonſtraret, cum vel ipſum, qui maximè inter mortales eminet, tam breui tempore ex hac vita ſubtrahi cerneremus, id nimirum docere illum debere, ſemper ad mortem vt tenderet, & hoc exemplo cæteros omnes admoneri, quantum cupiat Deus Romani pontificis vitam populo ſuo prodeſſe, cum vel ex ipſius morte tantum ad illos velit commodi promanare.

CAPVT

CAPVT XX.

1. *Quam ob cauſam ſummus Pontifex mitra ſit redimitus, diademate ornatus, & quam auguſta ſit illius maieſtas.*
2. *Iudæorum conſuetudo, qui Vetus teſtamentum pontifici offerunt.*
3. *Quare in Cathedra perforata ſummi Pontifices reponantur.*
4. *Popularis ea de re ſententia, & error.*
5. *Nihil ſine myſterio in Eccleſia Catholica fit.*
6. *Aduerſarij hanc ceremoniam calumniantur.*

AD alias ceremonias, quę in pontificum conſecratione vſurpantur, aperiendas veniamus: ſed prius quam ob cauſam & mitra & diademate donentur, paucis videamus. Mitram capitis ornamentum inſigni arte elaboratum pontificibus & ſacerdotibus veteris legis familiare fuiſſe nemo ignorat. Antiſtites noſtri eandē retinuerunt, vt auctoritatem, quam ſupremam in Eccleſia gerunt, hoc ſigno innuerēt. Id copioſius ab Euſebio, Rabano, & ab alijs eſt obſeruatum. Nolo hic Apuleium proferre, qui vltimo ſuæ Metamorphoſeos libro, dum mitratum dicit, ſacrificulum intelligit. Lingua quidem Perſica nihil aliud præterquam Solem ſignificat. Apud

1. Quā ob cauſam ſummus pontifex mitra ſit redimitus diademate ornatus & quā auguſta ſit illius mageſtas.

pud Euſebium Polycratis antiqui Aſiæ epiſcopi Epiſtola legitur, in qua Diuum Ioannẽ Euangeliſtam celebritate Paſchali quodam mitræ genere vſum fuiſſe teſtatur, quod Potalon nominat. Idem planè vocabulum Ioſephus in Pontificia Aaronis tyara deſcribenda vſurpat. Tandem diadema triplici corona diſtinctum ſummis pontificibus eſt impoſitum, vt dignitatis illius, quæ omnes amplitudine ſuperat, indicium eſſet certiſſimum, quod antea vaticinio Iſaiæ clariſſimo prædictum fuerat. Hoc vero Diadema ſuſceperunt, quia Pontificia illa tyara, quæ à Ioſepho deſcribitur, tribus coronis erat circundata: aut, vt Eccleſiam Europa, Aſia, Africa, tribus præcipuis, quæ tunc cognitæ erant, terrarum oris, ſparſam ſignificarent: aut vt memoriam trium coronarum, quas varij principes diuerſis temporibus ad Pontifices miſerant, vt obſequium profiterentur erga ſedem Apoſtolicam, conſeruarent. Non deſunt qui dicant Conſtantinum magnum primum omnium coronam, quam geſtabat, depoſuiſſe, & Syluestro impoſuiſſe. Ita Leo nonus, ita Innocentius tertius, & eruditus ille Antiochiæ patriarcha Balſamon, quamuis Romanis pontificibus aliquantulum infenſius ſcripſerunt. Multi tamen aſſerunt non coronam auream aut argenteam fuiſſe, ſed tritum & familiare imperatorum diadema, vittam ſcilicet holoſericam, qualem in antiquis numiſmatis depictam cernimus. Addunt etiam Syl-

ueſtrem,

Digitized by Google

ueſtrem, hunc honorem Eccleſiaſtico viro minus proprium repudiaſſe. Sed hos omnes vna cum Polydoro Virgilio turpiter labi exiſtimo, qui eo tempore Sylueſtrum Phrygiorum more, mitram ſericam candidam capiti impoſuiſſe, eaque contentum fuiſſe, ſcribit. Superiores enim Pontifices mitram familiariſſimè geſtaſſe manifeſtum eſt. Sunt nonnulli qui temere ſatis meo iudicio hunc honorē Clodoueo Galliarum Regi tribuunt: primúque fuiſſe, qui Pontificibus coronam impertitus fuerit, ſed fruſtra contendunt. Sigebertus enim, & Ammonius Clodoueum regem coronam vario artificio elaboratam, & multiplici pretioſorum lapillorum genere locupletem, ſibi ab Anaſtaſio Imperatore miſſam, Romam ad D. Petri ædes aſportandam curaſſe; non ad Pontificem miſiſſe teſtantur. Quibus verbis Clodoueum Imperatoris Græci Legatus Aſiatica eloquentia profluens ſit affatus, Paulus Aemilius ita exprimit.

O Rex, inquit, *in orbis arce lauream ſempiternam locas, qua virtutis ergo donaris, non vis eam in obſcuro iacere, aut memoriam rerum cum rebus extingui.*

Pia igitur fuit oblatio, & Chriſtianū Clodouei votum, qui ſacro baptiſmate lotus ſuum hoc munere erga diuum Petrum animū eſt teſtatus. Sic ſe geſſit Riccaredus Hiſpaniarum rex, qui Catholicus factus, quo tempore diuus Gregorius pontificatum gerebat, coronam ſuam Romam miſit. Sed pretioſum hoc Clodo-

Clodouei pignus,pietatis monumentum, obedientiæ in Pontifices ſymbolum, diu Romæ aſſeruatum, ſacrilegio ſublatum eſt,& amplius inter pontificias diui Petri gazas nõ annumeratur; Sicuti nec duo illi inſignes calices, quorum alterum Ludouicus vndecimus Galliarum rex,alterũ Ferdinandus Neapolis Rex obtulerat.Impij autem huius ſacrilegij auctores,vt Onuphrius in vitaInnocentis octaui ſcribit,nemo potuit reſcire. Corona vero à Clodoueo Romam miſſa,vt ex Aimonio, & è Sigeberto colligitur, Regnum vocabatur.Onuphrium autem, qui eam mitram appellat,hallucinatum fuiſſe exiſtimo. Pontifices vero coronãdi morem antiquum fuiſſe, & prioribus ſæculis vſurpatum ex Anaſtaſio Bibliothecario conſtat, qui de ſimili corona pontificia,cum de Conſtantino ſecũdo,& anno 766.agit, verba facit, Eugenium etiam ſecundum anno 824. Benedictum tertium anno 855.Formoſum anno 891. & ne lõgior excurrat enumeratio,reliquos, qui ſubſequuti ſunt,vt Onuphrius cum de Clemente 2.ſcribit,clarè teſtatur, coronatos fuiſſe legimus. Sed rationem Innocentij audire lubet.

Romanus itaque Pontifex inquit, in ſignum imperij vtitur regno,hoc eſt,vt poſtea dicemus, corona,quæ Regnum dicitur, & in ſignum pontificij vtitur mitra.Sed mitra ſemper vtitur, & vbique: Regno vero nec vbique,nec ſemper, quia pontificalis auctoritas & prior eſt, & dignior & diffuſior, quam imperialis.

Alio autem in loco ait,

Cæteri vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ſolus autem Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis: in ſignum temporalium dedit mihi coronã, mitram pro ſacerdotio, coronam pro regno: illius me conſtitues vicarium, qui habet in veſtimento & in fœmore ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.

Hic hæreticorum, & aliorum impiorum hominum oblatrandi libidinem miſſam facere non poſſum, qui Cleri Romani faſtum, nihil ad antiquam illam Apoſtolorum ſimplicitatem, & primorum Chriſtianorum candorem accedere, ſemper nobis obijciunt. Prioribus quidem illis ſæculis, & multorum annorum fluxu Pontifices martyrij ſacra laurea coronatos fuiſſe, quam omni diademate, & ſceptro potiorem habebant, reliquiſque ornamentis ducebant ſuperiorem, nemo ignorat. Prima illa ætate, gloria eorum, erat ignominia; maieſtas, humilitas; felicitas tyrannorum ira; quies, ſupplicium; vita, mors ipſa. Sed ſicut, qui aduerſo flumine aut Garumnam, aut Rhenum, aut Padum vellet percurrere, tandem aliquando ad tenuiorem fontem, è quo fluminum initia deriuantur, & ſenſim incrementis hinc & inde affluentibus augentur, deueniret; ita ſane ſi Eccleſiæ, in cunis iacentis pueritiam inſpiciamus, non in ea tantam ordinum varietatem, opum affluentiam, officiorum dignitatem, ſed in omni agendi genere demiſſam tenuitatem depræhendemus.

tri templum longo agmine recta tendunt, vt hymnum, Te Deum laudamus, concinant, & Deo gratias, quantas animi capere poſſunt, maximas, agant. Cardinales iterum omnes, viriquc principes, alijque qui ibi adſunt illuſtrioris familiæ nobiles: poplite flexo ſignum crucis, quod in ſuperiori calcei parte impreſſum emicat, oſculantur. Dum hęc omnia peraguntur, varijque Pſalmi decantantur, & diuerſæ preces recitantur. Benedictione poſtremò populo beneuolè impertita ſummus Pontifex in ædes & tubiculum ſe recipit. Aliquibus verò decurſis diebus prout ſeſe offert occaſio, ſolemni ritu conſecratur, & diademate pontificio inſignitur. Imprimis quidem celeberrima pompa ad D. Petri templum deducitur, & cum è D. Gregorij ſacello egreditur, ceremoniarum magiſter ſtupis tenuiori virgæ affixis ignem admouet, & ad pontificē conuerſus, his eum affatur verbis, *Pater ſancte ſic tranſit gloria mundi*. Qua in re antiquos illos Romanos imitatur, qui imperatores ſuos ouantes & triumphantes his vocibus à tergo dum è ſacra via in Capitolium vehebantur compellabant; Vos eſſe homines mementote. Hanc vero conſuetudinem Romani, vt Petronius Arbiter, & Auſonius adnotarunt, ab Aegyptijs acceperunt, qui in conuiuijs ne liberiori potu homines inſoleſcerent, ligneam imaginem, & in ea cadauer humanum incluſum præferebant, ſinguloſque conuiuas, vti ad illud ſpectaculum oculos reflecterent, admone-

monebant. Pius quidem tertiu, quaſi augura-
retur, & præſentiret vltimum vitæ terminũ,
qui poſtea vigeſimo ſexto die elapſo ſubſe-
quutus eſt, dum hanc ceremoniam attentius
ſpectaret, vberrimè fleuit. Hic nihil dico de
Vrbano ſeptimo, cuius auguſta amplitudo
breui duodecim dierum circulo circunſcri-
pta vix nata, extincta eſt. Hoc autem ritu, ip-
ſo pontificatus initio fragiles hominum ſpes,
breues humanæ vitæ terminos, inconſtantes
expectationes. & vt olim quidam Stoicus di-
cebat, ſimulachra lutea inſigni arte polita, ſed
leuia admodum eſſe præmouentur. Aude-
mus tamen ſupercilio horrido Deum laceſſe-
re, in aſtra caput attollere, & cælitibus minas
inferre, cum tamen nihil præter fœtida ver-
mium pabula exiſtamus. Præclarè quidem
Simonides cecinit.

Ἄνθρωπος ἐὼν μήποτε φύσης ὅτι γίνεται
Μηδ᾽ ἄνδρα ἰδὼν ἔσσον χρόνον ἔσσεται
Ὠκεῖα γὰρ οὐδὲ τανὺ πτερύγου μυίας
Οὕτως ἁ μετάστασις.

Verum enim vero quid hac vna ſacra ce-
remonia aptius, cum nihil aliud, vt ſapiens
dixit, hæc vita cenſeatur quam bulla, quam
fumus cito diffluens, & vt multi exiſtimarũt
Philoſophi, quam repentinus venti
impetus, qui ſtatim concidit, quam cor-
uorum gregatim volantium crocitus ſubito
erumpens, & illico effugiens, quam equi inci-
tatius currentis lapſus, aut Aquilæ dum aere

 libe-

Digitized by Google

liberiori fruitur, volatus, aut ſomnium, vox, ſignum, nubes, ſolis radius, vilior muſca, vuæ acinus, breuis voluptas, & tædium, quod præclaras, quas ſibi homines fingunt expectationes, & faſtum poteſt deprimere. Mors enim ſingulis momẽtis nobis inſidiatur, quouis in loco nos adoritur, nunquam nos liberos patitur, iunioribus non parcit, ętate ſumma decrepitis non indulget, & Pontificios dignitatum apices, non magis quam cerdonum viles officinas reueretur. Omnes enim homines eadem concretione mortali coagmentatos cõtemplatur.

4. *Michaelis Montani mors bonis omnibus acerba.*

Sed tota hæc diſputatio, & hoc Socraticũ Philoſophandi genus ad Michaelem Montanum eſſet referendum; cuius omnia ſtudia in dolore contemnendo, in acerbitate fortunæ æquo animo ferenda, in malis ſuperandis, & morte ipſa, cum ei etiam præſens ſeſe obtulit aſpernanda, fuerunt collocata. Sed à paucis annis hoc ſplendidiſſimo, & ſcientiæ & eloquentiæ Sole Gallia, & noſtra hæc maximè Aquitania eſt oborta. Quem niſi acerba mors extinxiſſet, quos de Stoica & Chriſtiana Philoſophia inceperat libros, perfeciſſet. Vt erat vir rerum tractandarum peritus, & omni cultioris vitæ laude præditus, ſic ſe aduerſus omnes mortis impetus, & impendentes fortunæ aduerſæ procellas munierat, vt nunquam de ſua ſede deturbatus viſus fuerit, eundemque vultum vbique retinuerit. Noſtri autem non eſt inſtituti illius laudes percẽſere, Mu-

Digitized by Google

re, Muſarum eſt potius quas coluit, aut alterius Homeri, tantam ſegetem percurrere. Ad argumentum igitur noſtrum redeo. Hic igitur ignis leuiori materiæ adherens ſubito accenſus, & eodem ferè temporis puncto extinctus, & verba quæ ceremoniarum Antiſtite proferuntur, Pontificibus tãquam certo ſymbolo innuunt, nihil eſſe tantam honoris altitudinem, præter fictam & adumbratam felicitatem, & folij viridis, quod citò flacceſſet, inanem pulchritudinem.

Breuis vitæ terminus eorum, qui Pontifices anteceſſerunt eum, qui noua electione creatus eſt, tacitè ne tanta dignitate inſoleſcat, & vt ſuo fungatur munere, ſibi ac gregi ſit attẽtus, admonet. Occulto enim diuinæ prouidentiæ conſilio factum eſt, vt nullus pontificum tanto tempore clauum Eccleſiæ adminiſtrarit, quanto D. Petrus idem gubernaculum rexit, qui viginti & quatuor annis, menſibus quinque, diebus duodecim in eo ampliſſimo honore vixit. Quam proximè quidem ad eum numerum Adrianus acceſſit, qui in pontificatu annis viginti & tribus, menſibus decẽ, diebus decem & ſeptem ſedit. Hic vero impudentiam cuiuſdam Guilielmi Vuicleffi magiſtri, & ſpurciſſimi Veleni tacere nõ poſſum, qui ſparſis libris D. Petrum nunquam Romanum fuiſſe Pontificem auſi ſunt ſcribere. Verum hæreticis hominibus ita vt cogitare, & dicere, ſic ſcribere, & deſipere ad nutum licuit. 5. *Quam breuis ſit pontificum vita.*

Roga-

6\. *Præclara Petri Damiani oratio.*

Rogatus olim magnus ille Petrus Damianus Cardinalis Alexandri ſecundi literis quam obcauſam tam cito Romani Pontifices ex hac vita in aliam migrarent, & ad eam quã alij multi attingunt ætatem, non peruenirẽt, egregium hoc, & cedro dignum reſponſum reddidit. Hoc ſibi diuinam prouidentiam ea de cauſa ſtatuiſſe videri, vt nobis ob oculos poneret, mentibuſque noſtris timorem incuteret mortis, & quam ſpernenda vita hæc tẽporalis eſſet, in ipſo etiam mundanæ gloriæ principe demonſtraret, cum vel ipſum, qui maximè inter mortales eminet, tam breui tempore ex hac vita ſubtrahi cerneremus, id nimirum docere illum debere, ſemper ad mortem vt tenderet, & hoc exemplo cæteros omnes admoneri, quantum cupiat Deus Romani pontificis vitam populo ſuo prodeſſe, cum vel ex ipſius morte tantum ad illos velit commodi promanare.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XX.

1. *Quam ob cauſam ſummus Pontifex mitra ſit redimitus, diademate ornatus, & quam auguſta ſit illius maieſtas.*
2. *Iudæorum conſuetudo, qui Vetus teſtamentum pontifici offerunt.*
3. *Quare in Cathedra perforata ſummi Pontifices reponantur.*
4. *Popularis ea de re ſententia, & error.*
5. *Nihil ſine myſterio in Eccleſia Catholica fit.*
6. *Aduerſarij hanc ceremoniam calumniantur.*

AD alias ceremonias, quę in pontificum conſecratione vſurpantur, aperiendas veniamus: ſed prius quam ob cauſam & mitra & diademate donentur, paucis videamus. Mitram capitis ornamentum inſigni arte elaboratum pontificibus & ſacerdotibus veteris legis familiare fuiſſe nemo ignorat. Antiſtites noſtri eandē retinuerunt, vt auctoritatem, quam ſupremam in Eccleſia gerunt, hoc ſigno innuerēt. Id copioſius ab Euſebio, Rabano, & ab alijs eſt obſeruatum. Nolo hic Apuleium proferre, qui vltimo ſuæ Metamorphoſeos libro, dum mitratum dicit, ſacrificulum intelligit. Lingua quidem Perſica nihil aliud præterquam Solem ſignificat. Apud

1. *Quā ob cauſam ſummus pontifex mitra ſit redimitus diademate ornatus & quā auguſta ſit illius mageſtas.*

pud Euſebium Polycratis antiqui Aſiæ epiſcopi Epiſtola legitur, in qua Diuum Ioannẽ Euangeliſtam celebritate Paſchali quodam mitræ genere vſum fuiſſe teſtatur, quod Potalon nominat. Idem planè vocabulum Ioſephus in Pontificia Aaronis tyara deſcribenda vſurpat. Tandem diadema triplici corona diſtinctum ſummis pontificibus eſt impoſitum, vt dignitatis illius, quæ omnes amplitudine ſuperat, indicium eſſet certiſſimum, quod antea vaticinio Iſaiæ clariſſimo prædictum fuerat. Hoc vero Diadema ſuſceperunt, quia Pontificia illa tyara, quæ à Ioſepho deſcribitur, tribus coronis erat circundata: aut, vt Eccleſiam Europa, Aſia, Africa, tribus præcipuis, quæ tunc cognitæ erant, terrarum oris, ſparſam ſignificarent: aut vt memoriam trium coronarum, quas varij principes diuerſis temporibus ad Pontifices miſerant, vt obſequium profiterentur erga ſedem Apoſtolicam, conſeruarent. Non deſunt qui dicant Conſtantinum magnum primum omnium coronam, quam geſtabat, depoſuiſſe, & Sylueſtro impoſuiſſe. Ita Leo nonus, ita Innocentius tertius, & eruditus ille Antiochiæ patriarcha Balſamon, quamuis Romanis pontificibus aliquantulum infenſius ſcripſerunt. Multi tamen aſſerunt non coronam auream aut argenteam fuiſſe, ſed tritum & familiare imperatorum diadema, vittam ſcilicet holoſericam, qualem in antiquis numiſmatis depictam cernimus. Addunt etiam Sylueſtrem,

ueſtrem, hunc honorem Eccleſiaſtico viro minus proprium repudiaſſe. Sed hos omnes vna cum Polydoro Virgilio turpiter labi exiſtimo, qui eo tempore Sylueſtrum Phrygiorum more, mitram ſericam candidam capiti impoſuiſſe, eaque contentum fuiſſe, ſcribit. Superiores enim Pontifices mitram familiariſſimè geſtaſſe manifeſtum eſt. Sunt nonnulli qui temere ſatis meo iudicio hunc honorẽ Clodoueo Galliarum Regi tribuunt: primúque fuiſſe, qui Pontificibus coronam impertitus fuerit, ſed fruſtra contendunt. Sigebertus enim, & Ammonius Clodoueum regem coronam vario artificio elaboratam, & multiplici pretioſorum lapillorum genere locupletem, ſibi ab Anaſtaſio Imperatore miſſam, Romam ad D. Petri ædes aſportandam curaſſe; non ad Pontificem miſiſſe teſtantur. Quibus verbis Clodoueum Imperatoris Græci Legatus Aſiatica eloquentia profluens ſit affatus, Paulus Aemilius ita exprimit.

O Rex, inquit, *in orbis arce lauream ſempiternam locas, qua virtutis ergo donaris, non vis eam in obſcuro iacere, aut memoriam rerum cum rebus extingui.*

Pia igitur fuit oblatio, & Chriſtianũ Clodouei votum, qui ſacro baptiſmate lotus ſuum hoc munere erga diuum Petrum animũ eſt teſtatus. Sic ſe geſſit Riccaredus Hiſpaniarum rex, qui Catholicus factus, quo tempore diuus Gregorius pontificatum gerebat, coronam ſuam Romam miſit. Sed pretioſum hoc

Clodo-

Alio autem in loco ait,

Cæteri vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ſolus autem Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis: in ſignum temporalium dedit mihi coronã, mitram pro ſacerdotio, coronam pro regno: illius me conſtitues vicarium, qui habet in veſtimento & in fœmore ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.

Hic hæreticorum, & aliorum impiorum hominum oblatrandi libidinem miſſam facere non poſſum, qui Cleri Romani faſtum, nihil ad antiquam illam Apoſtolorum ſimplicitatem, & primorum Chriſtianorum candorem accedere, ſemper nobis obijciunt. Prioribus quidem illis ſæculis, & multorum annorum fluxu Pontifices martyrij ſacra laurea coronatos fuiſſe, quam omni diademate, & ſceptro potiorem habebant, reliquiſque ornamentis ducebant ſuperiorem, nemo ignorat. Prima illa ætate, gloria eorum, erat ignominia; maieſtas, humilitas; felicitas tyrannorum ira; quies, ſupplicium; vita, mors ipſa. Sed ſicut, qui aduerſo flumine aut Garumnam, aut Rhenum, aut Padum vellet percurrere, tandem aliquando ad tenuiorem fontem, è quo fluminum initia deriuantur, & ſenſim incrementis hinc & inde affluentibus augentur, deueniret; ita ſane ſi Eccleſiæ, in cunis iacentis pueritiam inſpiciamus, non in ea tantam ordinum varietatem, opum affluentiam, officiorum dignitatem, ſed in omni agendi genere demiſſam tenuitatem depræhendemus.

mus. Si vero longius oculos reflectamus, & perfectionem ac virilem ætatem, quam poſtea attigit, conſideremus, à minoribus initijs ad ſummos apices perueniſſe; à vilitate ad incredibilem magnitudinem toto orbe terrarum ſparſam; ab ignominiæ labe ad ſummum laudis ſplendorem, & inaudita paulatim adauctam auctoritate fuiſſe videbimus. Eccleſia, quamuis nunquam conſeneſcat, quemadmodum & reliquæ res, quæ hoc mundo ambiuntur, ſuas ętates ſortitur. Martyrij tempore coram Deo, vt ait Abbas Vſpergenſis, floruit, coram hominibus vero vilis & abiecta iacuit. At cum Imperatores, Reges, & Principes, Chriſtianam fidem amplexi ſunt, tanquã filij bene morati Eccleſiam, tanquam piam matrem, quibuſcunquę grati animi officijs & honoribus potuerunt, religioſè coluerunt, & CHRISTI in terris vicario Pontifici ſplendida quæque regiæ dignitati, inſignia, quæ illi iure diuino deberi ſciebant, conceſſerunt Id tempore Marcellini anno 289. Syluestri primi anno 315. Damaſi anno 369. (quem diuinitus electum ait Ambroſius) Innocentij primi anno 406. clarum, & conteſtatum fuit. Eo tempore, vt Socrates in ſua hiſtoria narrat, nihil in Eccleſiæ paſtoribus erat ſordidum, nihil abiectum, nihil tenue, ſed omnia in illis ſplendida elucebant. Hæc ſacri Senatus Romani, & ordinum Eccleſiaſticorũ maieſtas nos in admirationem rapit, & ad ſuperiorum rerum contemplationem, quæ

præ

Digitized by Google

præ noſtra oculorum imbecillitate non vi-
dentur, pompa hac externa, quæ in conſpe-
ctum cadit, quaſi manu ducit. Ipſe rerum
ornatus, & dignitatis apparatus reuerentiam
quãdam ingenerat, & Eccleſiaſticam digni-
tatem illuſtrat. Id nos Galli Senatores, quo-
ties celebriori pompa incedimus, experi-
mur. Quam pulchrum eſt, & maieſtate ple-
num hoc ſacrum Senatorum Gallorum ag-
men miro ordine diſtributum contemplari?
Præeunt apparitores virgas præferentes, &
inter eos vnus reliquorum princeps, pileolo
panno aureo contexto, & pellibus muris ara-
nei ſubtecto; in cuius apice globulos ex mar-
garitis compactus enitet: Scriba deinde bre-
uiori toga ſpectandus ſubſequitur: Adſunt è
veſtigio Præſides galero holoſerico quem
Mortariolum vocant, inſigniti: in cuius ſu-
periori orbe, lata vitta aurea ſupereminet, &
ſimilitudinem tiaræ, qua olim vtebantur
Perſæ, & Medi, præ ſe fert: Ex humeris palli-
um coccineum non expanſum & effuſum
ſed reiectum, ac fibula more antiquo con-
nexum pendet. Protopræſes tamen quod e-
queſtris ordinis ſymbolum eſt, in armo dex-
tro pelles muris aranei tribus aureis vittis di-
ſtinctas defert. Subſequuntur Senatores
Phœniceis & coccineis togis venerandi, e-
quorum armo humerale, & epomis pellibus
obtecta effuſa pendet. Ita myſticis his indu-
mentis, & ſymbolis plenis non tãtum oculos,
voces, aures, & animos eorum, qui illos in-

tuentur, ſuſpenſos tenent, ſed malis terrorē, bonis vero Iuſtitiæ venerationem infigunt.

Sed ne longius à themate propoſito aberrem, ad rem redeo. Pontifici igitur in ſolio ſublimiori poſito, & in alto collocato diadema triplici coronarum ordine diſtinctum imponitur, & per aliquot dies indulgentiæ conceduntur. Supplicatione ſolemni ad Lateranenſe templum diuo Ioanni ſacrum, quam infinita plebs circunfuſo agmine comitatur, ea qua par eſt modeſtia, itur. Cum ad collē vulgo Iordanum dictum, peruentum eſt, Iudæi, qui obuiam de more procedunt, genibus flexis pontifici vetus teſtamentum offerunt, & vt illud ſartum & tectum conſeruet, ſuppliciter petunt: quibus pontifex reſpondet, & ſacram ſcripturam approbare, & in honore maximo habere, vetuſque inſtrumentum cœlitus antiquis patribus datum, & à Moyſe poſteris Iudæis relictum fuiſſe. Subiungit autē, ſe Iudaicos ritus, fictas Rabinorum interpretationes & fabulas, Iudaicum viuendi morē damnare, nec amplius verum ſalutis vindicē, & libertatis aſſertorem Meſſiam expectandū eſſe, ſed eundem Ieſum Chriſtum eſſe, qui cū patre, & ſpiritu ſancto in cæleſti arce latè imperat. Hoc interdum in caſtro ſancti Angeli fit, vt populus compeſcatur, qui furore præceps, in Iudæos irrueret, eoſque pedibus conculcaret. Viles enim apud omnes habentur, iuſta Dei animaduerſione à patrio ſolo exules, nulli rei præterquam turpiſſimo fœnori

2. Iudæorum conſuetudo qui vetus teſtamentum Pontifici offerunt.

& mancipijs emendis & vendendis vacantes. Eos tamen multis de cauſis Pontifices inter Chriſtianos viuere,& Romæ degere ſinunt. Eorum enim calamitas & miſeria Chriſtianũ nomen illuſtrat,titubantes fulcit,bonos confirmat.Diuus autem Auguſtinus eos tempore ſuo,Chriſtianorum bibliopolas & librarios vocabat.

Cum vero Pontifex ad templum peruenit,ex equo deſilit:Canonici omnes obuij occurrunt,honorificè ſalutant, & in Cathedra marmorea ad ſiniſtrum latus poſita collocãt. Hæc vero Cathedra ſedes Stercoraria vocatur.Cum aliquãdiu in ea ſedit,à duobus Cardinalibus ſenioribus attollitur,& inde dimouetur,à quibus hi Dauidici verſus decantantur, Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.

31 Quare in Cathedra perforata ſummi Pontifices reponantur.

Hoc in loco abſurdi quidam & ſtupidi homines putant fœmoralia ſolui,deprimi,& à quodam an ſit mas,turpius contrectari; Alij tamen in alio loco, hoc fieri contendunt. In his autem hominibus,qui talia confingunt,nihil præterquàm inſignis animi tarditas,& inaudita ſtupiditas apparet. Pſalmo decantato Pontifex tot nummos aureos,quot manu capere poteſt, populo ſpargit, & ante altare proſtratus orationi vacat: demum omnibus,qui præſentes adſunt, benedictioné largitur.Inde porticu finitima in Epiſcopiũ pergit, aulam ingreditur, iterum in Cathe-

dra, quæ ad menſam lapideam eſt poſita, cuius altitudo ad Chriſti ſtaturam accedere dicitur, omnibus ſpectantibus collocatur. Multæ interea preces funduntur, quibus abſolutis, ad D. Sylueſtri ſacellum deducitur. Ante fores illius binæ Porphyreticæ cathedræ perforatæ conſpiciuntur: vbi in harum prima aliquantulum ſedit, ab aliquo Lateranenſis templi miniſtro in altera manu virga, in altera claues ei traduntur: hoc poteſtatis, qua ligandi, & ſoluendi ius ſortitur, illud improbos corrigendi & puniendi ſymbolum ſapiẽter excogitatum eſt. Neque enim cum Diuo Petro, vt aduerſarij garriunt, hæc ſuprema poteſtas eſt intermortua. Quaſi vero Eccleſia vna cum Petro nata, & cum Petro ſepulta ſit, & non potius ipſe Petrus ad Eccleſiam regendam tanta auctoritate ſit donatus? Quo enim ſe verteret Eccleſia non haberet, vt ait Cyprianus, ſi ſuprema hæc poteſtas ſoli Petro conceſſa fuiſſet, reliquis autem ſucceſſoribus denegata. Cum aliquandiu Pontifex in ea ſede manſit, ex ea conſurgit, in aliam migrat: virgam & claues ei, à quo acceperat, reſtituit. His omnibus peractis in cubiculum ſe recipit, & vniuerſa hominum corona, quæ ad ſpectandum conuenerat, diſcedit. Hic è multis, quæ & ſingulares & admirabiles in conſecratione vſurpantur, paucas ſelegi ceremonias, quas noſtro inſtituto accommodatas putabã. Nolui autem varias preces, quæ in hoc ſacro ritu recitantur, ne in immenſum excurreret

enume-

enumeratio,intexere.Ex ijs igitur, quæ præmiſi,facile eſt colligere, quam ob cauſam is, qui eſt Pontifex electus, in huiuſmodi ſolio perforato ſedeat,non vt riſummoueat,mimũ agat,comœdiã exibeat,vt Eccleſiæ hoſtes obganniunt; ſed quod à Platina etiam erudite eſt annotatum,vt non ſe Deum aliquem immortalem,ſed hominem omnibus,quibus humana infirmitas eſt expoſita, neceſſitatibus obnoxiũ eſſe meminerit. Sic olim ille totius orbis victor & triumphator dum ab adulatorum grege,quo numeroſo abundabat, Deus prædicaretur,ſapienter reſpondit, vobis fidẽ adhiberem,niſi me natura ſicuti & reliquos ad turpes & fætidas neceſſitates compuliſſet. Sic olim cum Hermodorus inſignis adulator Antigonum filium Solis appellaret, ad eum conuerſus Antigonus ait,qui è ſcaphio fæces meas aſportat, te mendacij reum conuincit. Sed cum vnicuiq; liceat ſacræ huius ceremoniæ cauſam inueſtigare,& eam quæ cum grauitate ſit cõiuncta,proferre,veriſimile exiſtimarim,hæc omnia ideo fieri, & pontificatus initio in ſedibus perforatis pontificem collocari,vt inſtabilem eſſe fortunã, vanos honores,caduca hæc omnia inferiora,diſcat, ſibiq; ob oculos proponat dignitatem ſupremam, qua fungitur, communem alijs rebus humanis, quæ ſtatim effluunt, terminum ſortiri. Hoc vno ſpectaculo fit,ne inſoleſcat,ne cogitationes ſuas totas in honore defigat, quẽ vix antea auſus fuerat ſperare, ſed in Deum bo-

norum auctorem omnia referat,qui vt poeta Gallicus ex Horatio deprompſit,& ante eum Heſiodus cecinit, tenuioris fortunæ & ſortis homines in ampliſſimos honorũ gradus euehit.

Ea fortaſſis Cathedræ perforatæ forma ad Prophetæ oraculum acceditur, qui huius mundi dignitates cum ſacco conſciſſo comparat. Illud quoque in noſtro Senatu Gallico obſeruaui,reos,qui in iudicium vocantur,& de quorum fama & capite agitur, in humiliori ſede perforata aliquibus in locis collocari,vt eo ſaltem indicio periculum, in quo verſantur,agnoſcant. Huiuſmodi autem porphyreticæ ſedes tam præclaro & antiquo artificio ſunt elaboratæ,tam perfecto opere politæ,tanta induſtria locupletatæ, vt ad earum pulchritudinem, cum ſimiles vellet architectari inſignis & ſculpendi & pingendi artifex Michael Angelus,non potuerit accedere. Auctores autem ij,qui turpes hos contactus eo in loco exerceri contendunt,ab omnium vltimo Cardinali diacono fieri imperitè ſcribunt. Sed accuratius libros,qui de ceremonijs agunt,perluſtrare,aut alios, qui Romæ diu fuerunt,interrogare,& cauſam æquiori lance examinare debuiſſent. Sic enim nullum, qui ſuam tam ſordidæ & obſcœnæ rei operá præſtet,omnino reperiſſent. Omnibus enim in negotijs non iuniores & vltimi Cardinales diaconi,ſed duo & ætate, & officio prouectiores,pontifici miniſtrant. Fortaſſis ea cathe-

dræ

dræ inuſitata figura plebeis animis, qui philoſophari, & rerum cauſam perſcrutari non norunt, inanem hanc & futilem ingenerauit opinionem, ideo hoc foramen relictum, vt ex eo an Pontifex vir eſſet, manus tentaret. Sic olim gentiles ceremoniarum Chriſtianarum ignari, vt teſtatur Tertullianus, dum populum Chriſtianum ad ſacerdotum genua ſe abijcere viderent, pudenda eorum oſculari putabant.

Sed ignorantiæ plebeiæ venia eſt danda, vulgari rumori eſt parcendum, non tamen eorum inueteratæ malitiæ eſt condonandum, qui cum rei veritatem perſpiciant, ſe excæcatos eſſe fingunt, & fabulam hanc ſpargunt. Similibus ingenijs innatum eſt res amplificare; nullos ſibi mendacij limites proponere, huc & illuc vagari, & quę ſemel conceperint, tanquam ſi oracula eſſent, mendacia effundere. Sed ad carceres, & metam eorum animi ſunt reuocandi, & ad veritatis gyrum compellendi. Stercorariæ igitur ſedes vocantur, tum quia ad eam naturę neceſſitatem accommodatæ videntur, tum quia is qui collocatur in illis, ex vili & humili hoc loco in altiſſimũ totius orbis thronum erigitur. Ita D. Paulus, ita beatus Bernardus, & reliqui ſancti res has inferiores tanquam ſtercora ducunt. Exiſtimarim tamen ideo Stercorarias ſedes appellari, quia cum illis Pontifex inſidet, à clero ille Dauidicus verſus canitur, De ſtercore erigens pauperem.

4. Popularis ea de re ſententia & error.

Nihil ſine myſterio in Eccleſia Catholica fit.

Sed quemadmodum in hoc ampliſſimo terrarum orbe, vt Pyrrhonei philoſophi dixerunt, nihil eſt ſuperfluum, nihil vanum, nihil inutile, ſed omnia ad vniuerſitatis ornamentum referuntur: ita in Eccleſia Catholica nihil eſt ocioſum, ſed quicquid in ea fit, ad auguſtum eius ſplendorem reuocatur. Nulla ne leuis quidem & tenuis ceremonia vſurpatur, quæ magni alicuius myſterij ſymbolum non ſit. Ipſi lapides in templis, ſacræ veſtes, ſacerdotis geſtus tacitè loquuntur. Omnia nō ſolum ad rudiorum, ſed etiam doctorum animos excolendos & erudiendos tendunt. Rebus enim, quæ ſub ſenſum cadunt vehementius & acrius, quàm ijs quæ in ſolam mētem influunt, accendimur. Id in oculis, quorum ſenſus eſt acerrimus, contemplari licet, qui vbi ſymbola obiecta viderint, animum ad myſteria recondita indaganda inflammāt. Præclare ideo ab Horatio dictum eſt.

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Diuerſæ autem hæ varijs in locis ſeſſiones non in conclaui, vt quidam commentantur non in penetralibus, & locis abditis, ſed in Lateranenſi templo vniuerſo ſpectante populo, qui ex omnibus fere nationibus Romam confluit, & ad ceremoniam hanc accurrit, ſacro aſtante Purpuratorum patrum collegio, præſentibus diuerſorum principum, & Regū legatis celebrantur. Alijs ſane notis & indicijs, an

Digitized by Google

cijs, an creatus Pontifex vir eſſet, ſi id neceſſarium foret, & in conſuetudine poſitum eſſet, honeſtius explorarent: & obſcœnis his contactibus, quos aduerſarij fingunt, homines ætate decrepitos, ſenio confectos, canitie venerandos, in conſpectu ciuium Romanorum, & honeſtiſſimarum matronarum non deturparent. Verum enim vero ſi neceſſarium eſt hoc examen, ne iterum Ioanna altera perſonata fœmina Eccleſiæ imponat, quam ob cauſam in concłaui antequam confirmetur Pontifex, non præmittitur? Cur antequam in põtificatus poſſeſſionem veniat, antequam ſolemne ius-iurandum admittat, quo ſe principum & regum legati obſtringunt, & ſedi Apoſtolicæ debitam obediẽtiam promittunt, hæc experientia non tentatur? Cur in D. Petri templo, antequam pontifex conſecretur, & diademate donetur, ac populo benedictionem impertiatur, non fit? Si hoc verum eſſet, non vltimas, vt aduerſarij dicunt, partes, ſed primas ſibi hæc ceremonia vendicaret. Nec plures ſedes, quæ tamen conſpiciuntur, neceſſariæ cenſerentur, vna enim ſola huic operi accommodata ſufficeret. Libenter ab huiuſmodi hominibus peterem, quaſnam cathedras Lugduni excitatas fuiſſe legamus, & vbi nam ſint earum veſtigia, cum in ea Galliarum ciuitate noſter Clemens Aquitanus, & Ioannes vigeſimus primus fuerint conſecrati? Quaſi vero in conſpectu Galliarũ Regis, qui ceremonijs interfuit, hoc fue-

fuerit tentatum? Clemens quidem Iunio electus, & Nouembri coronatus, prius quam cõſecraretur, à toto orbe eſt tanquam legitimus Pontifex habitus. Id etiam Adriano ſexto contigit, qui cum longe remotus eſſet, Ianuario creatus eſt, & Septembri coronatus eſt pontifex. Vtrique populus obtemperabat, clerus parebat, nobilitas obſequebatur. Nullus tamen adhuc, an viri eſſent, fœdo contactu expertus fuerat.

Itaque inimicorum & malorum hominũ hæ ſunt technæ, quibus furor arma, inſania argumenta, perturbatio conuitia miniſtrauit. Quæcumque enim Eccleſiæ Catholicæ obeſſe putantur, ea tanquam oracula cœlitus data obijciuntur. Sic olim cum in theatris, & publicis ſpectaculis populo Romano ioci gratia, ſibi inuicem poma conijcere liceret, & durioribus, ne vulnus grauius infligeretur, ſe appetere lex vetaret; interrogatus quidam Iuriſconſultus, an pomi nomine iuglandes, & fructus qui ex pinu naſcuntur, comprehenderentur, ita ſibi videri reſpondit, ſi in Vatinium, cum quo inimicitias exercebat, conijciantur. Ita plane hæretici omnia conuitiorum genera modo in ſedem Apoſtolicam redundent, licita putant.

CA-

CAPVT XXI.

1. *Quam ob cauſam ſummus Pontifex dum publicè incedit, ſe ab eo loco auertit, in quo Ioanna peperiſſe confingitur.*
2. *De ficta Ioannæ imagine, quæ Romæ eſſe dicitur.*
3. *Qualis auctor fuerit Antoninus.*
4. *Diuerſorum auctorum inter ſe mutua comparatio.*
5. *Petri Mexiæ nugæ & ineptiæ.*
6. *Quodnam ſit illud, quod Ioannæ tribuitur, ſimulacrum.*

EO, quod iam aperui, commento non contenti hæretici, aliud non minus ridiculum adinuenerunt, Lege ſancitum eſſe, ne in ſolemni & publica ſupplicatione pontifices ea via incedant, in qua Ioanna partum enixa eſt, & mortua; ſed ab illa tanquam ab infauſta, & quæ malum portendat, ſe auertant, vicoque duo Clementi vicino ad Lateranenſe templum gradiantur. Si ea lex promulgata eſt, nonne Ioannæ memoriam refricat, conſeruat, cum poſteritate adæquat? Verum qui hoc abſurdo inuento pontificio honori ignominiæ labem inurere voluerunt, huius conſuetudinis cauſam non attigerunt. Ea enim via, quæ ab aduerſarijs obijcitur, tantis anguſtijs eſt circunſepta, vt plures longo agmine tu-

1. *Quam ob cauſam ſummus pontifex dum publice incedit ſe ab eo loco auertit, in quo Ioanna peperiſſe cōfingitur.*

turmatim incedentes, non poſſit commodè capere: deinde qui eam tenent, veteris Amphiteatri ruinas, quæ iter retardant, neceſſe eſt percurrant. Ideo latiori, licet longiori itinere ad ædes Lateranenſes ſacrum facturi cõtendunt. Populus enim loci anguſtijs non comprimitur, ſinguli ordines diſtinguuntur, Cardinales ſuum ſibi commodius vendicant locum, Principum & Regum legati honeſtius incedunt, & maieſtas pontificiæ aulæ, quæ in illa celebri pompa maxima eſt, clarius elucet. In breuiori autem illa via, quæ Ioannæ partu infamis & contaminata fingitur, multitudo compreſſa confuſionem ederet, eiulatus emitteret, ordine perturbato incederet. Eam tamen pontifices dum ſoli incedunt, vt à pleriſque, qui eos viderunt, obſeruatum eſt, non refugiunt. Nullum enim eis inde, cum ſuo tantùm familiari comitatu, non immenſa ea, quæ ad ſupplicationes concurrit, populi turba, ſint ſtipati, emergit incommodum. Sed ad aliud, quod ad fabulam ſuam propagandam, & adaugendam excogitarunt figmẽtum veniamus.

2. *De ficta Ioannæ imagine quæ Romæ eſſe dicitur.*

Dicunt in extrema illius viæ parte, in qua Ioanna partum emiſit, eiuſdem erectum eſſe ſimulachrum: ibi enim fæmina inter complexus puerum tenens conſpicitur, quæ ſpectatoribus Ioannæ memoriam renouat. Ad hanc inuiſendam, qui Romam ex varijs terrarum oris appel'unt, tanquam ad celebre antiquitatis monumentum concurrunt, Equidẽ hoc

Digitized by Google

hoc commentum ſuperioribus ſæculis in ore multorum fuiſſe ſcio. Diuum Antoninum Florentiæ Archiepiſcopum illius meminiſſe non ignoro. Baleus & Centuriatores hoc teſtimonio tanquam arce firmiſſima tecti nobis inſultant. Vir tamen verè pius hoc non tanquam verum confirmat, ſed tanquam incertum, & in fama poſitum narrat. Multa enim à grauioribus interdum auctoribus tanguntur, quæ vix probabilia, aut parum admodum veriſimilia videntur. Nolim tamen dicere omnia in dubium eſſe reuocanda, hoc enim temeritatis non ferendæ; nec omnia reiјcienda, hoc ſiquidem inſolentiæ non permittendæ; nec ſingula credenda, hoc quippe leuitatis non tolerandæ eſſet.

Sed an Antoninus, cui ſumma laus in omni vitæ ratione debetur, in eo numero ſit, intueamur. Poſtquã hanc fabulam, quam ſe ex Martino deprompſiſſe fatetur, paucis recitauit, hæc ſubiungit; *Si verum fuit, quod vulgo dicitur, vt iſte refert, & quoddam ſignum ſculpturæ marmoreæ in via, vbi hoc contigit, ob huius rei memoriam poſitum dicitur, Vincentius tamen in ſpeculo hiſtoriali et Ioannes de Colonna nihil de hoc referunt. Sed & ſi fuit verum, nulli tamen ex hoc ſalutis præiudicium; quia nec Eccleſia fuit tunc ſine capite, quod eſt Chriſtus, gratiam enim ſacramẽtorum Chriſtus ſupplebat in recipientibus dignè, ignorantia facti inuincibilis eos excuſante à culpa.* 3. *Qualis auctor fuerit Antoninus.*

Inue-

Inuerecundè, vt audiſtis, diui Antonini auctoritate abutuntur, qui licet ſumma vitæ integritate clarus fuerit, hiſtoriæ tamen ſcribendæ laude pari non floruit. Tale eſt Melchioris Cani viri literati de Antonino & Vincentio iudicium, vt plus operæ in diuerſis rebus ex omni auctorum genere compilandis, quam iudicij, in falſis reijciendis, bonis retinendis, ambiguis refutandis poſuerint. Si æqua lance quidquid ſuæ hiſtorię inſeruerunt, ponderaſſent, nũquam ſimiles populares rumores vagos & incertos poſteritati commẽdaſſent. Eorum autem videtur inſtitutum fuiſſe, non rerum delectum, ſed multitudinem quærere.

4. *Diuerſorũ auctorum inter ſe mutua comparatio.*

Cardanus quidem, (quod tamen de viris pijs nolim dicere) ait illius ætatis ſcriptores tantopere mẽdacio, & fabulis fuiſſe delectatos, vt in contentionem venerint, quis plura confingeret. Vagos autem & peregrinos infimæ ſortis homines imitati ſunt, qui quoſcũque obuios habent centones, rapiunt. Et ex eis in vnum collectis veſtem, vt ipſi putant, concinnam conſuunt; ſic illi vt rapſodiam locupletiorem reddant, & vt culmen ædificio, quod ſibi propoſuerunt, imponant, omne cęmenti genus inuehunt, opuſque perfectum putant, ſi ſplendidum hunc titulum pro foribus præfigant, HISTORIA TOTIVS ORBIS. Diui autem Antonini ratio non eſt contemnenda. Quamuis enim, inquit, hoc commentum verum eſſet, Eccleſia tamen paſtore vidu-

viduata non fuit,nec Chriſtiani ſacramentorum effectu priuati.Non tamen ita,vt ea, quę ſacramenta non ſunt,Deus peculiari & inuſitata quadam poteſtate ſacramenta effecerit. Neque enim à muliere corpus Chriſti conſecrari,& ſacrificium offerri poteſt. Sed Deus, qui nullis terminis ſuam liberalitatem circumſcribi patitur,defectum ſacramenti ſupplet,& eandem,quam ſacramentum complectitur,gratiam prolixè imperitur.

Petrus autem Mexia idem rapſodiæ compilandæ genus ſectatus,ab Antonino hanc fabulam mutuatus;eam tanquam veram literis mandauit.Sed quoties in hiſtoria lapſus fuerit,non eſt huius loci perquirere. Neminem enim pontificum,ſi primum Chriſti vicariũ excipias,Petrum fuiſſe appellatum audet ſcribere.Id quam ſit à veritate alienum ſciunt omnes,qui Innocentium quintum, Ioannem vigeſimum ſecundum,Celeſtinum quintum, Clementem ſextum, Gregorium vndecimũ, Bonifacium nonum,Alexandrum quintum, & Paulum quartum,dum baptiſmate adhuc pueri tingerentur, hoc Petri nomine donatos fuiſſe cognoſcunt.Hæc autem, vt opinor, mens illius fuit, nullum in pontificatu hoc nomen retinuiſſe,ſed aliud, vt Apoſtolorum principem ea etiam coleret reuerentia, ſibi aſciuiſſe: hoc vno facto,vt ait Maſſonius, põtifices non officio quidem,ſed meritis ſe Petro inferiores profitentur.

5. Petri Mexiæ nugæ & ineptiæ.

Ad imaginem vero quam nobis teſtem obijciunt,

6. *Quodnam ſit illud quod Ioãne tribuitur ſimulacrum.*

ijciunt, iterum veniamus. Eam quidem Romæ eſſe, & in eo loco ſitam non inficior: illius tamen lineamenta, nihil ad Ioannæ ſimulacrum exprimendum & ante oculos ſubijciendum, accedunt. Statua quidem nullam partus formam præ ſe fert: & puer, qui proximus aſtat, tanquam recens natus pannis non inuoluitur, ſed grandior præire videtur. Qui melius augurantur, aut antiqui alicuius ſacrificuli idololatræ Romani, more illo priſco (quemadmodum ſimiles in veteribus numiſmatis inſpicere licet,) induti, quē puer comitatur, aut alicuius Dei, quos innumeros antiquitas confinxit, imaginem arbitrantur. Quiſnam autem ſit, cum triginta Deorum millia ea miſera & infelix ætas coluerit, non eſt facile colligere. Altera quidem manu hæç ſtatua, palmæ ramum humero innixum defert. Sed hæc non ſunt Chriſtianorum Pontificum inſignia, & ſymbola, in quorum manibus aut claues, aut cruces reponuntur. Cum ab Eccleſiæ Romanæ hoſtibus hanc imaginem gremio puerulum, quem ipſa manibus amplecteretur, excipere, & coronam habere audiuiſſem, hoc primum olim mihi occurrit Beatæ virginis Mariȩ eſſe ſimulachrum, quale in pleriſque Italiæ locis collocatum conſpicitur. Sed quam-primum ad me eius peruenit pictoris manu expreſſa ſimilitudo, ſententiam mutaui, & cum Onuphrio Panuinio antiquitatis perſcrutatore diligentiſſimo, vetus aliquod idolum eſſe exiſtimaui. Si enim eo ſimulacro prodi-

prodigioſum Ioannæ partum in poſterorum animis defigere, eumque ęternitati conſecrare voluiſſent, artifex, ne ſpectatores ambiguitate ſuſpenſi fuiſſent, vt in reliquis ſtatuis ad memoriam comparatis fieri debet, inſcriptionem præfixiſſet. Tandem ſublato hoc vico, ſuo loco motum eſt hoc idolum. Magnus enim ille tot molitionum ſtructor Sixtus V. qui plurimos humi ſepultos Obeliſcos erexit, magnifica palatia conſtruxit, aquæductus & ſacella exædificauit, vias & vicos mutauit, ſic vt in omnibus vrbis Romanæ triuijs & compitis nomen eius inſculptum occurrat, hunc vicum rectiorem duci vt & plurimos alios curauit, ac præcipue qui ad beatæ Mariæ Maioris ædem ducit; quo factum eſt, vt imago, quam vulgus imperitum Papiſſæ iſtius eſſe imaginabatur, ſublata ſit. Communis tamē opinio erat, eam in loco inde remotiori amplius vno miliari partum enixam eſſe, ad ædē nimirum S. Ioannis in Hieruſalem. Itaque vacillante in populi capitibus hoc errore, neceſſe eſt in loco partus hanc imaginem nequaquam erectam fuiſſe dicamus; fortaſſis in poſterum fiet, vt rerum nouarum cupidum aliquod ingenium nouam ex occaſione iſtius à Sixto factæ mutationis ſabulam cudat.

CAPVT XXII.

1. *Antiqui, Ioannæ facinus ſi verum fuiſſet, nunquam occultaſſent.*
2. *Imago Ioannæ, quæ Senis viſitur, fidem nō facit Ioannan in pontificatu ſediſſe.*
3. *Omnia pictoribus & poetis licent.*
4. *Pictura & poeſis non ſemper cum veritate coniunguntur.*
5. *Ad ſummum pontificem Apoſtrophe.*

1. Antiqui Ioannæ facinus ſi verū fuiſſet nunquam occultaſſent.

ANtiquos, ne Eccleſiæ Romanæ turpitudinem proderent, quam tanquam matrem venerabantur, Ioannæ ſacrilegum inceſtum, quibuſcumque potuerunt artibus, texiſſe hæretici calumniantur. Iidem tamen propoſiti immemores contraria obiectione mucronem in proprias ceruices conuertunt. Quemadmodum enim ex ſuperioribus capitibus conſtat, nobis obijciunt, ideo cathedras perforatas in Lateranenſi æde fuiſſe collocatas; morem pontifices viſitandi maiori curioſitate, quam modeſtia Chriſtiana poſtularet, introductum; imaginem Ioannæ in vico publico Romæ poſitam, vt poſteri impudentiſſimæ meretricis facinus deteſtarentur, fraudeſque quibus ad pontificatum peruenit, auerſarentur. Id ſi ita ſit, crimen hoc tenebris inuoluere, obliuione conterere, ſilentio diſſimulare noluerunt, ſed potius promulgare, & fu-

& futuris ſæculis commendare. Cum igitur proprijs cuniculis eorum arces labefactatæ corruant, noſtris machinis non ſunt expugnandæ. Sed lubet mitiori pugna cum illis manus conſerere, imo gratis, nouis auxilijs, quæ ipſi non præuiderunt, eorum partes infirmas adiuuare. Fulciendi enim ſunt, ne omnino cadant; ſuppetiæ ferendæ, ne terga vertant, ſubleuandi ne caſtra deſerant.

Age vero quodnam illud eſt adminiculũ, quo eorum cauſa firmior reddatur? Hoc vnũ non contemnendum: in Senenſi templo totius orbis nobiliſſimo & pulcherrimo, opere inſigni elaborato, marmore candido, & nigro exædificato, omnium Romanorum pontificum ſtatuas longo ordine poſitas eſſe, inter quas Ioannæ ſimulacrum ſuum locum ſibi vendicat. Quaſi vero ſi ſomnium & fabula fuiſſet, Senenſes ciues, & honeſta vita culti, & literis tincti, in templo totius Italiæ celeberrimo, chimeræ imaginem collocari permiſiſſent? Ac non in gurguſtijs, non in ſolitudine, non in angiportu, ſed in media Italia, in vrbe ampliſſima, in loco honeſtiſſimo multis annis hæc ſtatua viſa eſt, quam Cardinales alijque viri Eccleſiaſtici, immò interdum Pontifices ſpectare potuerunt. Sit ita. Ea tamen ſtatua non eſt ita antiqua, vt Ioannam pontificatum geſſiſſe teſtari poſſit. Vix enim à ducentis annis prima Senenſis templi fundamẽta acta fuiſſe fabrica adhuc recens, & nondũ abſoluta demonſtrat. Sculptor autem aliquis

2. *Imago Ioannæ quæ Senis viſitur fidem non facit.*

populari opinione imbutus,& id, quod nunquam fuerat,verum ratus,huius portenti ſimulacrum,inter ſummorum Pontificum ſtatuas retulit.Neque enim ſculptorum eſt, rerum veritatem examinare, ſed varietatem in opere quærere,& probabilem aliquam, qua nitatur,coniecturam indagare. Id fortaſſe Antonini auctoritate,quam ab alijs audierat, commotus tentare auſus fuit. Ciues autem Senneſes totum hoc negotium ſculptoris arbitrio conceſſerunt,qui in arte ſua potius voluptatem,quam hiſtoriæ ſynceritatem quæſiuit.

3. *Omnia pictoribus & poetis licent.* Nec mirum ſi hanc ſtatuam mulierculæ perditæ,& profligatæ erexerit,cum eam verſu Mantuanus poeta cœnobij clauſtris concluſus,depinxerit. Vtriq; par audacia, alter ferro,alter ſtilo poetico Ioannam formauit. Sed Mantuani verſus audire licet.

Hic pendebat adhuc ſexum mentita virilem
Fœmina,cui triplici Phrygiam diademate mitram
Extollebat apex,& Pontificalis adulter.

Nemo ante Mantuanum ita infamem & perditam extitiſſe fingere auſus fuerat. Vt vero nouis coloribus fabulam exornaret, ſtabuli pontificij Præfectum Ioannæ adulterum pœna grauiſſima cruciatum,&laqueo in collum inſerto ſuſpenſum, quod nemo antiquorum dixit,commentatur. Verum vt ait Horatius.

——————Pictoribus atque Poetis
Quilibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Sunt

Sunt enim pictura & poeſis tanquam germanæ, quæ mutuam ſibi opem præſtant, cum pictura ſit quaſi muta poeſis, vt dicebat Simonides, poeſis autem loquens pictura.

Rarum tamen vtraque cum veritate commercium habet. Pictorum enim & poetarum induſtria, non quid hiſtoriæ veritas, ſed quid aurium ſuauitas, aut oculorum delectatio poſtulet, & nihil præterea, intuetur. Quaſi vero illius ſculptoris, qui Ioannæ ſimulacrum elaborauit, inſigne artificium nos ad fidem huic fabulæ præbendam poſſit compellere? Si ea, quæ manu ab artificibus finguntur, credamus eſſe vera, interdum veteris & noui teſtamenti hiſtoriam peruertemus. Obſeruaui Burdigalæ in D. Andreæ templo totius Galliæ præſtantiſſimo, ipſo primo aditu Chriſtum in cælos aſcendentem Aquilæ volantis dorſo fultum, & innixum egregio opere lapide inciſum. Literati, qui in eam ſtatuam oculos conijciunt, ipſo primo intuitu Iouē aliquem putant, ſed vbi aciem acrius intēdunt, Chriſti aſcenſionem, nouo hoc commento adauctam conſpiciunt. Eſſet tamen huiuſmodi libertas artificibus præſcindenda, audacia amputanda, temeritas reprimenda, & ad veram hiſtoriam tota eorum ars, ne ſcandalum pareret, reuocanda. Miror autem Pium ſecundum, qui Aeneæ Syluij nomen illuſtrauit, & Pium tertium vere pium, hoc in Senenſi templo paſſos fuiſſe ſimulacrum, cū illius vrbis Archiepiſcopi fuerint, & in ea

4. *Pictura & poeſis non ſemper cum veritate cōiungūtur.*

nati ciuitate,pudoreque magno non ſuffuſos fuiſſe,mulierem libidinibus fractã inter viros,& Pontifices ſanctos locum, & ordinem tenere.

6. *Ad ſummũ pontificem Apoſtrophe* Itaque ad te ipſum Beatiſſime Pater me conuerto,te ipſum abſens intueor, te ſupplex deprecor vt iniuriam maioribus tuis illatam vlciſcaris.Ex eo loco,ſi adhuc in eo ſedet, ſtatuam deturbandam impera, in quo Dæmon mendaciorum architectus eam collocauit. Fac vt ficta meretrix,quæ numquam in terris corpore vero conſtitit, ne vel minimam inter homines vmbram habeat. Pyramis illa Caligulæ toto orbe decantata, ingens ille Obeliſcus,moles illa lapidea quæ nubibus apicem inferre videbatur,non ita Sixti V, qui eam,& Deo & cruci conſecrauit, nomen illuſtrauit;ſicuti huius Idoli ruina,& nobis& poſteris ſæculis tuam famam, quæ nullo intermorietur æuo,commendabit.Sed cur tecum pluribus ago, cum meis votis iam ſatisfeceris?Summus enim Pontifex, Clemens octauus ad quem orationem iamconuertebam,vbi ab illuſtriſſimo D. Cardinali BARONIO, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptorum noſtro prę ſertim æuo facile principe,certior factus,iuſta nos poſcere,ſimul vbi animaduertit, quã probe à nobis in hanc putidiſſimæ fabellæ vanitatem eſſet animaduerſam(qua de re Tomo diuini illius operis decimo ſcripturus eſt magnus ille ſcriptor)ſtatim illius portenti ſimulachrum deijci, temploque Senenſi procul

cul eijci iuſſit. Sic delea turpiſſimi monſtri memoria, quam proiecta ignari veritatis & improuidi ſculptoris audacia ſublimem hoc tam auguſto celebrique loco ſtatuerat. Id adeò lector magna, niſi fallor, voluptate perſpiceret ex literis, quas ea de re miſit ad me, non ita pridem Illuſtriſſimus idem D. Cardinalis BARONIVS; cuius ego viri laudandi, vt ſcripta illius legēdi, finem prorſus inuenio nullum.

Digitized by Google

EXEMPLAR EPISTOLAE ILLVSTRISSIMI D. CARDInalis Baronij.

TArdius ſcribo,vt oportunius ſcriberem, remque ex ſententia geſtam ſignificarem: cuius teſtes litteras ſereniſsimi Magni Ducis Hetruriæ his iunxi. Egi apud Sanctiſsimum. Egi cum collega ornatiſsimo ac illuſtriſsimo Cardinali Senenſi,& ipſe apud magnumDucem.Omnes paratiſsimi inuenti ſunt,ſe excuſantes non ſine rubore,neſciſſe,quod vltra montes adeo vulgatum innotuit. Nullo obice res quàm feliciſsimè confecta eſt. Subdubitabam ne auctoritas S. Antonini Archiepiſco. Florentini, Florentinum principem retardaſſet. Sed Dei benignitate,patenti veritati ceſſere omnia.Deo ſit gloria,de imagine vana proſtrata. Tibi tamen debentur trophæa atque triumphus, triumphaliſque ſtatua nobili inſcriptione notanda.

VINDICI VERITATIS

VALE.

CA-

CAPVT XXIII.

1. *Quæ de Ioannæ peregrinationibus & varijs in academijs habitis lectionibus dicuntur, vana ſunt.*
2. *A quibuſdam Ioannæ modeſtia, plus æquo laudatur.*
3. *Germani hominis ſtupidum commentum.*
4. *Pſeudopontifex die corpori Chriſti ſacro in publica ſupplicatione peperiſſe dicitur.*
5. *Quæ in partu fuerint obſeruata.*
6. *Quæ de Pompa funebri dicantur.*

QVi ad delectationem comparandam hanc fabulam excogitarunt, ſuam dicunt Gilbertam, Agnetem, Ioannam fideli pellicatu cum monacho primo amatore, quádiu ille vixit, perſeueraſſe, poſtea vero, Athenis relictis, Romam petijſſe, & in vrbe totius orbis ampliſſima trium annorum ſpatio non minori auditorum concurſu, quam famæ celebritate publicè literas profeſſam fuiſſe. Verum Onuphrius & alij, qui res Romanas diligentius obſeruarunt, anno Octingenteſimo, quæ ætate Ioanna hæc vixiſſe fertur, nullam adhuc in vrbe Romana Academiæ formam viguiſſe, & lectionem publicam inſtitutã fuiſſe teſtantur. Sed quandoquidem id volunt aduerſarij, hoc illis cõcedamus. Quib' autẽ artib' tot prouincias perluſtrare, tot vrbes per- 1. *Quæ de Ioãnæ peregrinationibus & varijs in Academijs habitis lectionibus dicuntur omnino, vana ſunt.*

currere, cum tanta auctorũ frequentia agere potuit, & ſexũ occultare? Nam aut vox qua in lectionibus vtebatur, aut geſtus, qui in mulieribus mollior deprehenditur, aut vultus qui delicatior in illis notatur, ſexum prodidiſſet. Cum ſemper in publico hominum cõuentu verſaretur, & ætate prouecta eſſet, nullumque barbæ veſtigium haberet, facile erat quænam eſſet ſuſpicari & augurari. Eſt enim barba, vt Nicander dicebat Lacedemonijs, & Iulianus Apoſtata Antiochenis, qui barbæ illius, quam prolixam alebat, inſultabant, peculiare hominis ornamentum, fortitudinis ſymbolum, certiſſimum virilis ſexus indicium: quo vno qui carent, vt quidam poetarum dixit, hominis nomen non merentur. Quibus vero technis ad Pontificatum prouecta, coram tot Regum & principum legatis, quorũ in aula Pontificia eſt frequentiſſimus numerus, coram tot hominibus, qui Romam confluunt, coram Italis qui perſpicaci admodum ſunt ingenio, & vt vno verbo dicam, coram fere vniuerſo orbe potuit deliteſcere, & non agnoſci? Neque enim more ſcholaſtico vnus aut alter ſeruus ei miniſtrabat. Pontifices honeſtorum aulicorum numero abundare, & maieſtate, quæ tantam auctoritatem decet, nitere nemo ignorat. Quoſdam quidem parciores & frugaliores fuiſſe ſcio, qui paruo comitatu contenti, multum de ſplendido illo apparatu remiſerunt. Talis noſtra ætate Sixtus quintus extitit, & olim Adrianus ſextus,

à quo

à quo cum Leonis à paucis diebus vita functi ſerui petijſſent, an eorum opera vti vellet, quotnam eſſent interrogauit: qui cũ ſe in catalogo centum conſcriptos eſſe reſpondiſſent, Deus bone, inquit, muniens ſe ſigno crucis, & mihi duodecim ſufficiunt. Nullus igitur è tanta miniſtrorum corona Ioannæ ſexum potuit internoſcere, vnum ſolum excipiunt cincinnatum & thori & peccati ſocium.

Pudet me diutius in his ineptijs refutandis inhærere; puerile plane & ridiculum eſt cogitare pellicẽ libidinibus flagrantem tanto tempore Lutetiæ inter ſcholaſticos familiariter degiſſe, Athenis inter literatos verſatam fuiſſe, Romæ inter aulicos vixiſſe, & ſexum diſſimulaſſe. Sed ad alia ſomnia refutanda progrediamur. In publica omnium ordinum ſupplicatione, in media via, in totius populi conſpectu, puerũ peperiſſe fabulantur. Quaſi vero ſi prægnans fuiſſet, & partui proxima, aut poculum, vt aliæ ſolent meretrices, quo fœtum enecaret, non hauſiſſet; aut locum ab omnibus arbitris ſeparatum, vt clam pareret, non ſelegiſſet. Plures nouit, quam opus eſſet, ſimile fœminarum genus artes, quibus turpiſſimos ſuos complexus tegat. Sed hoc de ea dicere, eſt eam ſimplicem, minus vafram, minus acutam prædicare. Hoc vero non eſt meretricem omnibus artibus inſtructam, & præſtigijs magicis potentem deſcribere. At, inquiunt, ſubitis torminibus correpta, ne o-
tium

2. Quibuſdam Ioanna modeſtior quã fuerit fingitur.

Digitized by Google

otium quidem deliberandi, & ſe in aliquam domum recipiendi habuit. Non potuit cum cubili præfecto, qui huius ſceleris particeps erat, eo tempore conſilium inire, aut vt impudens Baleus ait, cum Cardinale, qui ad Venerem monacho priori amatore potẽtior, eam prægnantem reddiderat, totum negotium communicare? Id ſi ita ſit, in decrepita ætate & rugis deformata, (quod naturæ aduerſatur) concepit, cum tamen numquam in florente & iuuenili illa adoleſcentia inter medios ſcholaſtici Monachi complexus, vterus eius intumuerit. Si id ita fuiſſet, aut cubicularius, aut Cardinalis malo impendenti occurriſſent, illa autem vel negotium quod ſolitudinem & meditationem requireret, vel morbum confinxiſſet.

3. *Germani hominis ſtupidum commẽtum.* Sed Germani auctoris ſubtiliter excogitatum ſomnium audiamus. Deus inquit, iuſtus ſcelerũ vindex hoc ſcelus noluit permittere inultum, ſed Angelum ad Ioannam miſit, qui ei ſignificaret ſe veniam à Deo impetraturam, ſi ad maiorem ignominiam ſubeundam in publica via nullius ope implorata, nulla obſtetrice aduocata, pareret & animã exhalaret. Hanc vnam ſibi pœnitentiæ poſt naufragium tabulam ſupereſſe, hoc vnum ad Deum flectendum remedium præſens eſſe, hanc ſolam peccandi eluendi pœnam, nullam præterea occurrere: hoc vero & comœdiæ & mimis ſcribendis & riſui vberius captando accõmodatum eſſet, non hiſtoriæ, à qua omnis

debet

debet abeſſe falſi ſuſpicio. Scerembergius & ipſe alterius nouæ opinionis dux & princeps rem aliter geſtam fuiſſe ſcribit, non enim ait, in via, vt falluntur multi, ſed in aula & in ſolio, dum in eo quieſceret, partum edidit.

Alij non deſunt, qui vt & ipſi noui cōmēti inuentores eſſent, non in vulgari aliqua ſupplicatione, ſed in ea, in qua ſolemni pompa Chriſti corpus publicè geſtatur, Ioannam partum emiſiſſe dolosè & malitiosè mentiuntur. Hic eſt latiſſimus excurrendi campus, in quo omnes habenas impudentiæ & calumniæ quidam Saxo laxat. Tales in Germania circunferuntur pleriſque in locis Ioannæ imagines: ſtat mulier ſub conopæo ſacris & pontificijs veſtibus adornata, quæ Chriſti corpus manibus complexum geſtat, è fœmore vero puerulus prodit; Tales ſūt hiſtoriæ Gebennenſes, quæ hæreticorum manibus familiariter terūtur. Hæc ſunt perditorū hominum inuenta, quibus rudiorum oculos deludere, & ſimpliciorū aures faſcinare conantur. Idem ſane fanaticis hominibus cōtingit, quod feris in plagas & retia cōpulſis, quæ quanto maiori impetu ſe ab illis expedire laborant, tanto flexuoſis ſinibus ſe implicant; vel bombycibus ſimiles vidētur, quibus ea innata eſt conſuetudo, vt longo telarū ordine, quas laborioſius texunt, ſe illaqueant. Neque enim animaduertunt Ioannæ Pontificatu, quem ſupponunt, nondum feſtum corporis Chriſti ab Eccleſia fuiſſe inſtitutum.

Tem-

Tempore quidem Diui Gregorij Turonenſis,qui ſexcentis annis antequam hic dies feſtus indiceretur,vixit,ab vno templo, aut ſacello ad alterum honorificè deferebatur: ſed non ea ſolemnitate,clero & populo omni cõuocato,vt fit hodie,geſtabatur. Nolo hic cauſas quæ ad hunc annuum diem feſtum inſtituendum Pontifices poſtea impulerunt percurrere:aliqui quidem dicunt,vt Berengariorum hæreſis,quæ per Galliam ſerpebat, omnino tolleretur.Berengarius quidem quinque ſynodis damnatus,tandem reſipuit, & vt ait Gerſon,Turonis, die Chriſti Epiphaniæ ſacro dum animam ageret,in hæc verba prorupit;*Hodie in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus propter pœnitentiã, vt ſpero,ad gloriam,vel propter alios,quos corrupi, vt timeo,ad pœnam.* Reliquiæ tamen huius peſtiferæ hæreſis, in multorum animis defixæ adhuc manebant: Alij aiunt, Leodij piam ac religioſam fœminam nomine Iulianam admirabili vitæ ſanctitate floruiſſe, quæ literis ad Vrbanũ Põtificẽ datis,vt hic dies feſtus toto orbe celebraretur, obnixè petijt,quibus ille annuit.Nolo hic inſignẽ Balei criminationẽ prætermittere,qui Vrbanũ olim Leodienſẽ Canonicũ pia ea muliere impudicè abuſũ calumniatur. Cauſã nõnulli veriorẽ vt puto, ſubnectunt, In Vrbe veteri fuiſſe ſacerdotẽ, qui in ſacrificio Miſſæ dum ad panem frangẽdum,& in tres,vt ſolet, partes diuidendum, perueniſſet,dubius,& anceps animo fluctuare

re cœpit, an ibi verum Chriſti corpus contineretur: ſed diuina prouidentia ſubſequutũ miraculum titubantem hominem in fide cõfirmauit. Ex partibus ſiquidem hoſtiæ ſanguis effluxit, qui velum & corporale cruore multo ita tenaciter tinxit, vt nulla arte ablui potuerit. Multi ad miraculum ſpectandum concurrerunt: templũ vero illud inſigniori opere inſtauratum eſt, & varijs muneribus auctum. Quæcumque vero cauſa Vrbanum ad hanc celebritatem indicendam commouerit, hanc vnam eſſe conſtat, vt corporis Chriſti memoria, cui omnem noſtram ſalutem acceptã referre debemus, omnibus pietatis Chriſtianæ indicijs recoleretur. Clarum autem eſt hanc ſolemnitatem quadringentis annis poſt fictum Ioannæ Pontificatum inſtitutam fuiſſe, & aliquo interiecto interuallo illius diei officium, à Diuo Thoma Aquinate compoſitum.

Nolo in re clara longior eſſe, ad ſingula, quæ in partu contigerunt iterum venio. Fabulantur igitur cum è Vaticano ad Eccleſiam Lateranenſem pergeret, in publica via prolẽ ediſſe. Sed antiquitatis ignari non obſeruarunt, Pontifices eo tempore in palatio Lateranenſi habitaſſe; Vaticanum autẽ anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo à Bonifacio nono habitari cœptum fuiſſe, vt à Platina annotatum eſt. Itaque veriſimilius loquuti fuiſſent, ſi dum è Lateranenſi palatio ad Vaticanam ædem viſitandam progrederetur, 5.

Quæ in partu fuerint obſeruata.

partum in publico depoſuiſſe dixiſſent. Sed hoc non minus ineptum eſt, quam ſi quis narraret Galliarum Regi aliquid infauſti contigiſſe, dum è Diuæ Mariæ æde pedem efferret, & ad Luparæ ſacrum ſacellum inuiſendum contenderet. Non defuit alius auctor, qui velis remiſque ab aliorum opinione diſcederet, & Ioannam in alia vrbis parte extremum diem clauſiſſe hac præterea inſcriptione prædicaret, Papa peperit puerum penes portam Petri & Pauli.

6. *Quæ de pompa funebri dicantur.*

Age vero quid de funere fabulentur, videamus. Scribunt ſine vlla pompa funebri, ſine vllo apparatu, ſine vlla ceremonia in ſepulchrum fuiſſe illatam. Res omnino inaudita & Chriſtianis hominibus inuſitata, vt in via publica, quæ ab omnibus teritur, aliquis ſepulturæ mandetur; Quaſi vero ibi ſepulchrum effoſſum repertum fuerit, quod matris & pueri cadauer ſubitò exceperit. Vbinam ſunt tumuli huius veſtigia, vbi elogia, vbi locus? vetuſtate fortaſſis omnia perierunt; at ſepulchrorum nunquam intermoritur memoria. Res planè barbara & fera, eam, quæ ſupremã dignitatem geſſerat, funebri honore priuare. An qui aderant præſentes, humanitatis ſenſum exuerant? Miſeris quidem hominibus & multorum criminum reis, ſi aut capite plectantur, aut ſuſpendio exterminentur, ſæpius in ſacro loco amicorũ precibus tumulus conceditur: hæc vero ab omnibus domeſticis ſeruis ita deſerta fuit, vt Pontificio ornatu veſtita in

ta in media via iacuerit? Vbi pia ſeruorum, quos varijs dignitatibus auxerat, officia? Vbi amicorum, quos multos habuerat, obſequia? Vbi Cleri in eam reuerentia? Indicta cauſa, nulla quęſtione facta, nulla iudicij forma obſeruata; eodem temporis articulo, quo in extremis illius partus anguſtijs perijt, damnata, in proximum effoſſum tumulum caſu repertum, eſt proiecta? Qui vero hi ſunt Patres con ſcripti, qui de ea ſententiam tulerunt, qui Senatores qui eam iudicarunt, qui iudices qui loco ſacro & pompa funebri indignam eam exiſtimarunt? Quid de cubili præfecto, quid de Cardinale, ex quibus concepiſſe fertur, actum eſt? In furcam, vt ridiculè & poeticè fingit Mantuanus, cum illa, acti ſunt. Hoc vnum quod non animaduerterunt, eis defuit commentum, ex dæmone cuius ope & congreſſu familiari vtebatur, concepiſſe, & ita in illam ſolam animaduerſum fuiſſe. Reliqua quæ in hæreticorum Eccleſiaſticis hiſtorijs leguntur, non perſequor: in quibus tot ferè mendacia; quot verba numerantur.

CAPVT XXIIII.

1. *Ioanna repentina morte opprimitur.*
2. *Hæreticorum fanatica inuentiones.*
3. *Quam ſtulta opinio cum Henricus Galliarum rex 3. ex Polonia rediſt, per orbem percrebuit.*
4. *Benedicti tertij de Pontificum ſepulturis ſanctiones.*
5. *Quid de duobus Italis narretur, qui ſe Pontifices eſſe ſibi falſò perſuadebant.*
6. *Argumentum in huius Pſeudopontificis auctores retortum.*

1. *Ioanna repẽtina morte opprimitur*

NOn ſatis eſt ijs, qui mendaciorum ſpargendorum artem profitentur, inuentione valere, ſed in eo ſcopus poſitus eſſe videtur, res quæ ad veritatem accedant, ſubtiliter excogitare. Itaque fabulæ cataſtrophen male compactam, nullo artificio conſutam, præcipiti vena compoſitam videamus. Cum nondum, inquiunt, ad ſupplicationis terminum peruentum eſſet, repentinis partus doloribus correpta, nullo manum porrigente & opem ferente exanguis concidit. At ſenſus ille doloris quamuis acerrimus intercapedinem & intermiſſionem aliquam vtero laborantibus puellis concedit, & non eas tanquã ſubita apoplexia, opprimit. Formoſa illa Sabinij Patricij Romani multorum ore decantata

tata coniunx, ſine voce, duos geminos peperit. Similium exemplorum ſeges, ſi in his quę rendis diutius vellem immorari, maxima efffloreſceret. Medicos quid de hac re ſentiant, conſulant. Aut ſeptem, aut nouem Lunæ curſibus partus erat maturus: & vterum legitimis menſibus geſtarat, nullumque abortum fecerat, imo, vt aiunt, maſculum pepererat, quid igitur mortem repentinam attulit? Bocacius veriſimilius mentitur: ait enim iã partu incolumi edito eiulantem in carcerem detruſam fuiſſe, & cuſtodiæ arctiſſimæ mancipatam. Alij contra ſentiunt in ipſo viæ publicæ pauimento tanquam fulmine cęlitus percuſſam mortuam concidiſſe.

Sed inueterata ſemper hæc fuit hæreticorum calumnia, vt ſummorum Pontificum obitum infœlici aliquo portento deturparint. Dedita enim opera ſanctiſſimorum patrum vitas, fabulis eleganter intextis obſcurarunt, vt quos vitę integritas commendabat, eos cõfictæ criminationes in odium vocarent. Ita Sylueſtrum ſecundum in Aquitania & Vaſconia natum à Dæmone abreptum, & membratim in fruſtra ab eodem diſcerptum fuiſſe meditantur. Elogium vero illi à Sergio decretum & ſepulchro impoſitum, omni laudis genere plenum Roma ad me miſſum, hic, vt mendacium conuincerem, inſeruiſſem, niſi illud Onuphrius & Papyrius Maſſonius ſuis libris mandaſſent. Eadem impudentia & impuritate fretus Myricus, Adrianum, qui Fe-

2. Hæreticorũ fanaticæ inuentiones.

dericum iniqua, vt ait, anathematis ſententia percuſſerat, dum cyathum aqua plenum exhauriret, à muſca tenuiori, quæ intus immerſa deliteſcebat, repentè fuiſſe ſuffocatum ſcribere non veretur. Sed Radeuicus antiquus auctor & Martinus Polonus, qui illius vitam, mortis genus, & pompam funebrem ſcriptis complexi ſunt, hanc calumniæ aciem ſatis retundunt. Alia innumera, quæ confinxerunt mendacia, in præſentia prætermitto; ſic multa in pios & literatos Chriſti Athletas Societatis Ieſu religioſos euomuerunt conuitia, inter quæ hæc duo facile excogitata enumerantur; quorum vnum eſt, quemdam illius Societatis religioſum à Dæmone in Germania in varias partes diſſectum fuiſſe; Alterum eſt ipſum Dæmonem formam humanam ementitum in eam ſocietatem admiſſum fuiſſe, & nefaria multa in ea feciſſe. Sed qualia ſint maleuolorum hominum artificia, ex hoc vno quod ſuperioribus annis in Gallia contigit facile colligemus.

3. *Quam ſtulta opinio cũ Henricus 3. Galliarum rex ex Polonia rediјt per orbem percrebuit.*

Cum Henricus tertius Galliarum rex Poloniam deſereret, & Galliam, quæ ſorte hæreditaria, fratre maiori natu Carolo mortuo ad eum peruenerat, magnis itineribus peteret, rumor iſte ſparſus tota Gallia volitauit. Non eſſe Henricum tertium & illum ducem olim Andegauenſem ſtrenuum, qui toties de hæreticis collatis ſignis triumpharat, toties Dei & Eccleſiæ hoſtes aperto Marte fregerat, toties Galliam iacentem erexerat, ſed ſpe-

ſpectrum quoddam ex orco ortum, quod illius formam præ ſe ferebat. Itaque armis eſſe abigendum, & vt imperaret, non permittendum. Hæc fuit effrænata quorundam loquendi audacia.

4. *Benedicti tertij de Pontificum ſepulturis ſanctiones.*

Sed ad Ioannæ ſepulchrum redeamus. Benedictus aduerſariorum opinione, huic Ioannæ ſucceſſit, is vero eſt, qui de honore funebri, quo Pontifices mortui erant efferendi, hanc legem promulgauit, vt frequentiſſimus Clerus ſummo apparatu Pontificum exequias cohoneſtaret. Si vero quod de Ioannæ vili & infami ſepultura fertur, certum fuiſſet, cum memoria adhuc recens eſſet, & crimẽ in omnium oculis poſitum, eos qui in poſterum populo & clero imponere vellent, excepiſſet, & ſuprema hac pompa priuaſſet. Itaq; faceſſant hi, qui tanquam alij Endymiones infelicem hunc Ioannæ tumulum ſomniarunt.

5. *Quid de duobus Italis narretur, qui ſe Pontifices eſſe ſibi falſo perſuadebant.*

Sed fortaſſis aduerſarij hoc geſtum, dum atra bili mouentur, eſſe ſibi perſuadent, non diſſimiles Cremonenſi cuidam ſeruo, qui cũ nobili cuidam Mediolanenſi famularetur, aliquando ſuaui inſania abreptus ſe Pontificẽ credebat, & coram Cardinalibus, quos pictos longo ordine in cubiculo habebat è ſolio cui innitebatur, orationem inſtituebat, diplomata conſcribebat, beneficia conferebat, tandem vero vbi inſaniæ ardor deferbuerat, ad penſa domeſtica exhaurienda redibat. Comparandi quoque mihi videntur, qui

Ioannæ cadauer tenui humo contectum, & ab omnibus ſpretum putant, cum Triumpho Camarino Petri Vbaldini nobilis & ciuis Vrbinatis ſtabulario, cuius ea ſingulis ſemel diebus erat vecordia, vt ſe Pontificem quoque eſſe ſibi perſuaderet, & Cardinales omnes, quos pictoris manu rudioribus lineamentis exprimendos curauerat, præſentes adſtare putaret, cum quibus idiomate ſuo proletario agebat, grauia imperabat, multa, quæ ad Eccleſiæ mores ſpectabant, proponebat. Denique ſui compos ad ſe reuerſus quaſi de cœlo deturbatus, ſtrigilem abripiebat, & ad equos curãdos totum ſe conuertebat.

6. *Argumentum in huius pſeudopontificis autores retortum*

Quia vero cum ijs, qui in errore obfirmati callum obduxerunt, manus conſero, quæ ſuperius dixi, breuiter retexam. Itaque è duobus, quæ proponam, alterum mihi concedant neceſſe eſt; Aut priſcos illos & antiquos Catholicos omnem illius ſceleris turpem memoriam, ne vlla vnquam infamiæ nota poſteritati inhæreret, ex hominum animis euellere voluiſſe. Id vero ſi ita ſit, quorſum, vt aduerſarij quoque gloriantur, tot ceremoniarum genera antiqui inſtituerunt, quæ atrocis huius ſceleris recordationem renouant? Aut contra vniuerſo terrarum orbi fucatę & ſimulatæ meretricis intolerabilẽ impudentiam, vt poſteri cautiores eſſent, voluiſſe exponere. Id ſi verum ſit, quantæ perfidiæ ſunt inſimulandi, Anaſtaſius, Nicolaus Magnus, Adamarus, & vt paucis dicam, omnes illius ſæculi

hiſto-

hiſtorici, Theologi, Iuriſconſulti, Canoniſtæ & ſcriptores, qui nihil de Ioannæ Pontificatu dixerunt, imo planè aliena & contraria ſcripſerunt? Quantæ ignorantiæ ne dicam malitiæ, ij eſſent arguendi, qui ceremonias pontificias collegerunt, ſingularum cauſas aperuerunt, clarè explicarunt, & nihil de multis, quę vt tali incommodo in poſterum mederetur, remedijs excogitata ſunt, propoſuerunt?

CAPVT XXV.

1. *Maximini ponderis argumeutum.*
2. *Quid in hac re ſit maximè conſiderandum.*
3. *Vnde originem duxerit hæc fabula; auctoris opinio.*
4. *Quid in Pontificatu Ioanna geſſerit, non legitur.*
5. *Pontificum poteſtas eo tempore maxima.*
6. *Pontifex Imperatores coronat.*

QVamuis ex ijs, quę ſuperius à me fusè diſputata ſunt, quæ de Ioanna feruntur, ficta eſſe facile ſit colligere: in poſtrema tamē hac acie opus eſt vehementioribus argumentis congredi. Tanto autem fulgore aduerſarios colluſtratos video, & tantum lucis eorū oculis obortum ſplendorem contemplor, vt quæ latibula petant, Sole excæcati ignorent. Quiſnam, niſi demens, idem vitij genus, quo ipſe publicè notatus & damnatus eſſet, alteri 1. *Maximi pōderis argumentum.*

vellet obijcere? Alienum à ratione videtur, ſi cæcus coclitem, omnino ſurdus ſurdaſtrum, mutus & elinguis balbutientem vellet infirmitatis inſimulare. Qui enim alienam vitam, vt quidam Poetarum Græcorum dixit, examinare volunt, ſuam prius æquiori ſtatera & lance ponderent, ratio poſtulat. Quemadmodum apud Plutarchum quidam Philoſophus aït non ſecus ac in alienis oculis ac pupillis, ſi acrius aciem defigamus, noſtros quoque oculos tanquam in ſpeculo contemplamur; ſic in alienis vitijs noſtra notabimus, niſi de Lamijs oriundi ſimus, quæ vt Poetarum fabulæ narrant, quoties in publicum prodibant, toties Lynceos oculos ſumebant, quoties autem domum repetebant, toties eoſdem in arca deponebant. Itaque cum Leo nonus qui centum annis poſt fictam hanc Ioannam, Pontificatum ſapienter adminiſtrauit, fœminam Conſtantinopoli ad Eccleſiaſticas dignitates prouectam fuiſſe audiuiſſet, ad Conſtantinopolitanos Patriarchas Leonem Archidamum, & Michaelem Cerulanum grauiores has literas ſcripſit. Abſit vt velimus credere, quod fama duce ad nos relatum fuit, vos fœminas ad ſacros Pontificios honores promouiſſe. Is tamen rumor ad nos peruenit, quem falſum putamus, cum non dicam fœminis, quod nondum orbis vidit, ſed Eunuchis ad ſacros ordines per Niceni Concilij canones aditus intercludantur. Quaſi vero cordatus ille & literatus pontifex ita iuſte & acerbè

Con-

Conſtantinopolitanos Epiſcopos perſtrinxiſſet, eiſq; hoc probrum obiecisſet, ſi in ciuitate Romana domeſticum hoc malum aliquando fuiſſet, & à paucis annis Pontificia ſedes Ioannæ fraudibus contaminata?

Græcis, qui eo tempore ab Eccleſiæ Romanæ conſortio ſponte diſceſſerant, plus æquo conceſſiſſet, eiſque amplam nouas tragœdias excitandi viam aperuiſſet. Eaſdem enim haſtas & tela amentata vehementiori impetu in nos contorſiſſent, & proprijs armis Latinos iugulaſſent. Si Latinæ Eccleſiæ meretricem profuſam impoſuiſſe, eiſque perpetuam infamiæ labem inuſiſſe ſapientiſſimus Pontifex ſciuiſſet, numquam Græcis hominibus obieciſſet, Conſtantinopoli Eunuchos & fœminas munera Eccleſiaſtica exercuiſſe. Hoc ſi præſtitiſſet, ad iniuriarum pugnam Patriarcham Græcum prouocaſſet, qui Romanis ſacerdotibus eandem turpitudinem obieciſſet. Quemadmodum autem Solis radij reflexi vehementius oculos lædunt, ita vera in alium retorta iniuria grauiori vulnere eundē ſauciat. Nihil enim eſt turpius, vt ait Plutarchus, ea iniuria, quæ in proprium retorquetur auctorem. 2. *Quid in hac re ſit maxime conſiderandum.*

Cogitanti autem mihi vnde hæc fabula orta fuiſſet, hæc vna ſatis probabilis ratio occurrit. Tempore Leonis huius, qui tanquam portentum & prodigium fœminam apud Græcos in Eccleſia Epiſcopatum geſſiſſe admiratus eſt, toto Chriſtiano orbe hunc rumorem 3. *Vnde originem duxerit hæc fabula auctoris opinio.*

Digitized by Google

morum percrebuiſſe, mulierem habenas Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ regere. Potuit autem fieri, quod in alijs rebus animaduertimus, vt ex hominum memoria, Conſtantinopolis nomen effluerat, & quod in illa factum erat, Romæ contigiſſe vulgo diceretur. Præterea omnes vel minimum verſati hoc norũt Conſtantinopolim Romam nouam, & ſimplici vocabulo interdum Romam fuiſſe appellatam. Antiquum enim Byſantium olim à Seuero Pertinace dirutum, & poſtea à Galieno Valeriani filio ſolo adæquatum, tandem à Conſtantino Magno de integro exædificatum fuit, qui eam ciuitatem non ſolum ijſdẽ priuilegijs, quibus Roma fruebatur, donauit, ſed etiam eam Romam appellari voluit. Nominis igitur ambiguitate decepti permulti, quod in Græcia euenerat hoc in Latio contigiſſe autumarunt. Sed coniecturam hanc miſſam faciamus, & inſtitutum noſtrum proſequamur.

4. *Quid in pontificatu Ioanna geſſerit non legitur.*

Si aliquando tanto muneri Ioanna præfuiſſet, res ab illa aut præclare, aut turpiter geſtas aliquis hiſtoricorum complexus fuiſſet. Nullus tamen liber antiquus, nec in Vaticano, in quo maxima ſupellex ſeruatur, nec in reliquis totius orbis bibliothecis reperitur, qui aut Eccleſiaſticos mores ab illa melius cõpoſitos, aut multa, quæ ab Epiſcopis Pontifici proponuntur dubia, aut principum, Regum & Imperatorum varia, quæ ad antiſtitem Romanum referuntur negotia, vel leuiter tangat.

gat. Sæculum tamen illud, quod anno octingenteſimo cœpit, non ſolum rerum, quæ in Oriente & Occidente euenerunt varietate, ſed Principum & Imperatorũ numero, qui rerum tractandarum peritia valuerunt maxima, & illuſtrium hominum, qui tum ſcientia, tum potentia plurimum potuerunt, multitudine abundauit. Itaque ſi tale portentum ætas ea tuliſſet, non defuiſſent ingenia turbulenta, quæ hoc notaſſent, vt omnia, quæ ab ipſa Pſeudopontifice ſancita fuerant, irrita fierent. Malitioſorum enim, vt ait Heſiodus, ſemper innumerus grex effloreſcit, aut, vt inquit alius poeta Græcus, qui in malitia conſenuerint, multi reperiuntur: nemo tamen, quia difficile eſt ouum tondere, auſus eſt veritati repugnare. Agitabatur eo tempore grauis de imaginibus inter Græcos & Latinos quæſtio. Leo enim imperator, & Conſtantinus eius filius à duobus Iudæis decepti, ſchiſmati, quod diu Eccleſiam torſit, viam munierant. Multa poſtea in Latina Eccleſia legitimè fuerunt celebrata concilia, contra vero in Græcia multi habiti conuentus & ſynodi. Multa ab vtriſque in dedecus ſempiternum contorta conuitia, numquam tamen, quod vim vel maximam habuiſſet, hoc vnum Eccleſiæ Romanæ eſt obiectum probrum.

Ea denique ætate tanta erat Pontificia auctoritas & maieſtas, quanta vnquam omnibus ſæculis illuxit. Nunquam, vt ait Paulus Aemilius, Roma auguſtior, nunquam dignitate maior,

5. *Pontificum poteſtas eo tempore maxima.*

maior, nunquam potentia celebrior. Nationes barbaræ à Chriſtiana doctrina remotæ, tum modeſto viuendi more, qui Romæ vigebat, tum ſingulari doctrina, quæ in ea ciuitate florebat, incitatæ, integræ ad religionem, & fidem Chriſti conuertebantur. Si autem hæc pſeudo-pontifex Dæmonis arte, vt fingunt hoſtes, in eam ſedem aduolaſſet, multos populos peſſimo viuendi genere & exemplo, ab hoc ſalutari propoſito reuocaſſet. Quis enim ſe ſacro fonte tingi, quis ſe lege Euangelica imbui, quis ſe pontificiæ auctoritati mãcipari, meretrice venefica clauum tractante, paſſus fuiſſet?

6. *Pontifex imperatores coronat.*

Eo quoque ſæculo imperatores tantum honoris & auctoritatis pontificibus tribuebant, vt his inſcijs & inuitis adminiſtrationẽ nunquam inirent, & ſacra diademata ab his acciperent. Adrianus quidem primus duos Caroli magni filios baptiſmate lauit, vnxit, & reges ſacrauit, quorum alter Longobardis, alter Aquitanis imperauit; Carolum autem magnum patricia dignitate Romana donauit, cuius tanta erat maieſtas (quod olim etiã Clodoueo Anaſtaſij Imperatoris legati dixerant) vt ſi vnum Cæſareum nomen excipias, nullus maior honoris titulus potuerit concedi. Gradus enim ad Imperatoriã dignitatẽ, ad quam poſtea peruenit, & coronam, Imperij, quam à Leone tertio accepit, erat proximus. Stephanus autẽ quintus, qui Leoni ſucceſſit, Ludouicũ pium non Aquiſgrani, vt cẽſet

ſet

Digitized by Google

ſet Aemilius in Germania, ſed Rhemis, vt Aimon, & Otho Friſingenſis putant, coronauit; Paſchaſius vero tertius Lotharium, Adrianus ſecundus, Ludouicum ſecundũ, Ioannes octauus natali ſolo Romanus Carolum Caluum, Ludouicum Balbum, & Carolum Craſſum; Formoſus deniq;, ne longius excurram, Arnulphum. Ac ea ætate ea inualuit conſuetudo vt è Pontificis manu diademata Imperatores ſumant, & ſupremũ in eius auctoritate ius eſſe poſitũ fateantur. Impera. quidẽ Maximilianus præpoſtero quorundã Germanorum conſilio impulſus in Comitijs anno 1507. Cõſtantiæ habitis hoc iugum voluit excutere, & fruſtra Pontificis legato ſeruitutis hoc genus & obligationem voluntariam eſſe perſuadere. Hoc enim Pontifices ius & priuilegium tot annorum curſu confirmatum, ſartum & tectum conſeruarunt, & auctoritatem Diuo Petro datam, quam Principes, Reges & Imperatores colere debent, integram retinuerunt. Ferdinandus quoque Caroli Quinti frater, Germanorum quorundam hæreticorum inani perſuaſione circumuentus, Imperatorium diadema à Pontifice accipere cõtempſit, ſed eum facti pœnituit. Pontifex enim ea de re apud aliquos Christianos reges grauiter queſtus, iuſta in eum ira, ne Eccleſiaſtica periret, & laberetur diſciplina, excãduit Ad eum vero placandum, Caroli quinti Hiſpaniarũ regis, & Franciſci primi Galliarũ Monarchæ potentiſſimi preces Ferdinandus ſupplex

plex adhibuit. Cum autem ſacrantur Imperatores in manibus Archiepiſcopi Colonienſis ſolemni Iureiurando obedientiam Pontifici vouent, bullam, quam vocant auream, ſe ſeruaturos promittunt, fidei auitæ & Catholicæ propugnatores acerrimos ſe futuros pollicentur. Fuit hac eadem forma noſtro ſęculo Caroli Quinti conceptum iuſiurandũ, quod in publicas tabulas relatum Romam à Cardinali Caetano eſt aſportatum. Hic lubēter aduerſarios interrogarem, quos duces, quos Principes, quos reges, quos Imperatores hæc Ioanna vnquam ſacrarit, quas legationes admiſerit, quos honoris gradus, & in qua terrarum ora, & quibus hominibus impertierit.

CAPVT XXVI.

1. *Hæreticorum inaudita impudentia.*
2. *Falſa permulta Centuriatores & Baleus imponunt.*
3. *A quo Ludouicus coronam accepit.*
4. *Alterum Balei commentum.*
5. *Quo tempore Anglia tributum Eccleſiæ perſoluere cœpit.*
6. *Multa ea ætate obſeruatione digna.*

1. Hæreticorũ inaudita impudentia.

QVi cancellos & carceres modeſtiæ ſemel egreſſi ſunt, nullos ſibi maledicendi terminos proponunt, ſed ferocioribus equis

quis indomitis ſimiles, fræno excuſſo huc & illuc feruntur. Impudentiæ eſt hoc innatum, vt nunquam ad ſe redeat, & vt olim Demoſthenes dicebat, non pupillas in oculis, ſed earum loco meretrices, quibus nihil eſt audacius & profuſius, habeat. Plato vero in ſuis legibus ait nihil aliud eſſe impudentiam, præter temerariam & effrænatam quicquid in mentem venerit, effutiendi, & incredibili audacia verum eſſe confirmandi libertatem.

Id in Balæo & Centuriatoribus, ne longius petitis exemplis vtar, elucet, qui adeo lingua effuſi fuerunt, vt omni exhauſto pudore, Ludouicum ſecundum, à Ioanna Pſeudopontifice, coronatum fuiſſe auſi ſint commentari. Nullam aliam arcē, qua ſuam tueantur fraudem, paratam habebant. Si enim hanc Pſeudopontificem ſex menſibus & toto biennio, quo Eccleſiam adminiſtrauit, otioſam depinxiſſent, ne priuſquam acta eſſet fabula, ſibilis & conuitio è ſcena turpiter exploderentur, mendacij conſcij homines verebantur. Semper Ioannam in vrbe Romana delituiſſe, nullas leges promulgaſſe, nulla beneficia contuliſſe, nihil ad Epiſcopos & Reges ſcripſiſſe, nihil molitam fuiſſe, omnia ſopita & pacata ætate ſua iacuiſſe, à veritate alienum videbatur. Aliquid ergo inueniendum fuit, quod eius Pontificatum laudabilem poſteritati redderet, & eam vixiſſe fidem faceret. Opus erat in hoc ampliſſimo orbis theatro ei aliquam perſonam imponere, quam cum laude ſuſtineret

2. Falſa permulta Centuriatores & Baleus imponunt.

3. *A quo Ludouicus coronam accepit.*

Quod vero figmentum illud fuit, Ludouicum ſecundum Romam petijſſe, huius Pſeudopontificis pedes deoſculatum fuiſſe, & ab ea diadema ſolemni ritu accepiſſe? Ab Adriano tamen anno octingenteſimo ſeptuageſimo tertio coronatũ fuiſſe patet, cum antea à Sergio Italiæ rex ſacratus fuiſſet, vt ex Aimone cuius hæc ſunt verba; clarum eſt.

Ludouicus autem imperator in vigilia Pentecoſtes Romam apud S. Petrum venit, & poſtridie coronatus ab Adriano Papa poſt celebrata miſſarum ſolemnia vna cum eo ad Lateranenſe palatium cũ pompa equitans coronatus perrexit. Ado idem fatetur, & nemo antiquorum ab hac communi opinione diſſentit: ſolos Lutheranos in Germania, & Puritanos in Anglia excipio, qui nouum hoc ſomnium Architectati ſunt, Cum antiquis loquimur, tabulis obſignatis agimus, auctoritate duce mendacium oppugnamus. Ea re non contentus Baleus huius

4. *Alterum Balei commentum.*

Pſeudopontificis tempore regem Anglorum Atelulphum magno regni & ſuo incommodo totius Angliæ decimam partem Pontifici Romano conceſſiſſe, mentitur. Si ita ſit, effeminati & molles præter modum fuerunt Angli, qui tributum non ſolum à fœmina, ſed à meretrice & venefica impoſitum, poſteris Romanis Pontificibus perſoluerunt. Verum omnis Balei hiſtoria, ſi cum Polydoro & alijs Anglis, qui religioſiores in ſcribendo fuerunt, comparetur, falſa deprehendetur. Facti originem & ſeriem quidam VVeſtmonſarieſis

hiſto-

Digitized by Google

hiſtoricus ex Ang'ia oriundus attigit, Atelulphum regem mirum in modum in religionem catholicam & Pontificiam auctoritatem animatum, vt peccatorum à Deo veniam impetraret, Eccleſiæ decimam regni partem largitum fuiſſe, & pietatis gratia ad Leonem Pótificem inuiſendum Romam contendiſſe, filiumque Alphredum iuniorem ſecum duxiſſe. Baleus non Leoni, vt veritas poſtulabat, ſed ſuæ Gilbertæ, aut Ioannæ tantum honorem tributum fuiſſe contendit.

Sed ſi quem ex antiquis ſuæ cauſæ patronum nanciſcatur, cum Anglicanæ hiſtoriæ theſauros omnes ſe rimatum fuiſſe ſcribat, eum nominet, & proſerat. Si diligentior in veritate indaganda fuiſſet, Inam primum huius tributi auctorem dixiſſet, qui anno 730. ſponte ſingulas familias certo tributo in perpetuum Eccleſiæ ſoluendo addixit, & ſingulas domos quolibet anno ſterlinum (pecuniæ genus eſt quod plebeia lingua, vt ait Vueſtmonſtarienſis, Romeſcor vocant,) pendere voluit. Hic vero Princeps & Romam petijt, & in ea vrbe templum beatæ virgini Mariæ ſacrum ædificandum curauit. Adulphus autem, aut vt alijs placet, Atelulphus maiorum ſuorum pia in Pontifices Romanos officia eodem pietatis ardore eſt complexus. Ioannes denique maiori ſe tributo annuo Pontifici ſubiecit, & die Diuo Michaeli ſacro mille ſterlinorum ſelibras Zygoſtaticas, quas marcas vocitamus, annumeraturum & appenſo-

5. *Quo tempore Anglia tributum Eccleſiæ per ſoluere cæpit.*

rum ſpopondit. Bodinus in eo quem de Rep. ſcripſit libro, ſe in Vaticano huius rei tabulas & bullam, vt proprio vtar vocabulo, vidiſſe fatetur, cuius exemplar A Prato olim Galliæ Cancellarius & apud Pontificem legatus tranſcribi & ſibi dari curauit. His vero tabulis regem Angliæ peccatorum veniam petijſſe, & ſe cædis reum, qua ducem Arturum nepotem interfecerat, profeſſum fuiſſe conſtat. Eo autem tempore Innocentius tertius Eccleſiæ Romanæ gubernacula tractabat. Itaque neutrum horum ad Ioannæ tempora poteſt referri, quamuis hoſtes id vnum nitantur plebeis animis inculcare. Sed non mirum ſi hæc de Ioanna confinxerint, cum Lancelotos, Arturos, rotundæ menſæ equites, aliaque fabularum monſtra otio diffluentes adinuenerint. Itaque alia, quæ Ioannæ ætate & Pontificatu euenerint, quærant oportet, præclare facta.

6. *Multa ea ætate obſeruatione digna.*

Eo ſæculo multa cœnobia ædificata, Academias inſtauratas, collegia erecta, templa conſtructa, & annuo cenſu dotata legimus: nihil tamen horum à Ioanna, quæ & ſcientiæ & opibus multum valebat, factum fuiſſe reperimus. Cum omnia ad nutum & arbitrium illius fluerent, ſpemque magnam immortalitatis ſibi promittereret, res excelſas & poſteritate dignas aggreſſa fuiſſet. Ingenia enim, vt ait Seneca, gloriæ cupida, ſi vento ſecundo vtantur, altius ſemper prouehuntur, & plenis, vt dicitur, velis, feruntur. Quid audacius mulie-

mulier? Quid magis ad ſuperbiam natum, ad res aggrediendas magis repentinum? Si adſit potentia, quę maxima in hac erat, numquam, vt ait Iuuenalis, deeſt audacia. Quemadmodum enim inquit Ariſtoteles natura fœminas hominibus & formoſiores & molliores effecit, ita multo magis ad omne fraudis & malitiæ genus comparatas. Ideo ea fuit familiaris Codro ſententia; Plures dolos in fœmineis mentibus agitari, quam in cœlo ſydera, aut piſces in mari numerari. Qua igitur ratione Ioanna ſe intra palatij Romani priuatos parietes continuiſſet, & nullum ſui nominis monumentum poſteritati reliquiſſet?

CAPVT XXVII.

1. *Imperatores olim Pontificum electionem cõfirmabant.*
2. *Imperatorum libidinem Pontifices & pœnis & minis propoſitis coercebant.*
3. *Qui Clotarij partibus fauebant Epiſcopi, interdum liberius de Pontifice obloquebantur.*
4. *Quæ de hac re Regino ſcripſerit.*
5. *Quid hic ſit obſeruandum.*
6. *Michael Imperator ſedis Apoſtolicæ & Romanæ hoſtis.*

POntifices vt ſuarum partium propugnatores & defenſores paratos aduerſus Græcorum inſolentiam haberent, imperium

1. *Imperatores olim põtificum ele-*

rium in Occidentis oras tranſtulerunt, magniſque priuilegijs Imperatores donarunt. Eis enim poteſtatem electos Pontifices antequam ſacrarentur auctoritate imperatoria confirmandi conceſſerunt ampliſſimam. Id maximè in Stephani quinti creatione eluxit, cuius electionem Imperator ſummo applauſu approbauit. Eam quoque olim imperatores alij ſibi arrogarant auctoritatem longa conſuetudine corroboratam. Odoacer Arrianus hanc ſibi libertatem vſurpauit, & Gelaſium Pontificem non mediocri moleſtia affecit. Modeſtior tamen & longè religioſior eo Heracleus ſummum illud ius, quod ab imperio alienum eſſe videbat, Benedicto ſecundo remiſit. Quoties Gelaſius de acerbo hoc iugo eſt conqueſtus? Quoties Gregorius ille & ſanctitate, & ſcientia verè magnus, hanc ſeruitutem deplorauit? Quoties reliqui Pontifices acerbius ab imperatoribus tractati ingemuerunt? Ea vero poteſtas imperatoribus conceſſa fuit, vt tumultus, qui ſæpe in Pontificum electionibus oriebantur, omnino compeſcerentur; & nullæ tum Romæ, tum in tota Italia ſeditiones excitarentur. Præterea præclara erat hæc harmonia, qua imperatores à ſummis Pontificibus diadema ſumebant, Pontifices autem ab illis confirmabantur, & ita communi concentu & amicitiæ vinculo, vt Sigonius obſeruauit, iungebantur. Imperatores quidem nullum ius in auctoritatem Pontificiam habuerunt, ſed prærogatiua hac, ſummo Pon-

... tifices cō firmabant.

mo Pon-

mo Pōtifice & clero annuente, vſi ſunt. Quiſnam autem Imperator hanc Ioannæ pſeudopontificis electionem ratam habuit? Eo tamen tempoee Imperatoria auctoritas, apud omnes maximum momentū obtinebat. Vicinos Ioannæ Pontifices ab Imperatoribus confirmatos lubet percurrere. Sergij ſecūdi, Leonis quarti, Benedicti tertij, Adriani ſecundi electiones ab Imperatoribus fuiſſe approbatas nemo inficiatur. Eadem ferè ætate qua hæc Ioanna floruiſſe dicitur, hi omnes Pontificatum geſſerunt: nullas tamen ad hanc, aut Imperatoris literas datas, aut legatū miſſum fuiſſe legimus. Sæpius enim eam ob cauſam Impetatores, legationes decreuiſſe perſpicuum eſt. Lotharius Ludouicum filium Romā miſit, vt Sergio confirmationem à patre ſibi traditam offerret. Scio quidem interdum Pontifices à populo compulſos Imperatorum ſententiam non expectaſſe, quod Valentino & Eugenio contigit; ijdem tamen culpam, ſi qua fuit, in populi præcipites animos reiecerunt, & ſe apud Imperatores excuſarunt. Quis vero hanc meretricem ad Pontificatum gerendum vi adegit? quas ad Imperatorem excuſationes miſit? quis eius Pontificatum confirmauit? habent Germani ſuorum Imperatorum catalogum, ſicut & Itali Pontificum. Illum euoluant, & ſi vel minimum huius Ioannæ veſtigiū percipiant, illud prodant. Sed rerum, quæ numquam fuerunt, monumenta edere difficile eſt. Fortaſſis eam in-

Digitized by Google

terPontifices intercalares enumerabunt. Quã uis autem ducentorum annorum ſpatio Imperatores filij Eccleſiæ obſequentiſſimi priuilegium illud Pontifices conſumandi aqud ſe retinuerint, quo quandiu benè vſi ſunt, tandiu illud conſeruarunt, poſtea cum ſæpius Eccleſiæ ſalutem in periculum vocarent, merito amiſerunt.

2. *Imperatorū libidinorum pontifices et pœnis & minis propoſitis coercebant.*

Pontifices tamen ſupremam auctoritatem, qua in omnes imperium habent, cælitus ſibi datam nunquam depoſuerunt, eamq́ue, cum grauis aliqua occaſio ſe obtulit, exercuerunt. Eo enim tempore, quo Ioanna vixiſſe fertur, grauiter in Reges & Imperatores adulteros animaduerterunt. Et quia ad noſtrę cauſæ patrocinium plurimum poſſe video, è multis duo, aut tria exempla decerpere contentus ero. Gregorius quintus Ludouicum Imperatorem adulterij cum Iuditha quadam perpetrati reum, vt ab omnibus arbitris ſeparatus tanti peccati maculas elueeret, cuiuſdā cœnobij clauſtris addixit. Nicolaus magnus, qui Ioannæ ſucceſſiſſe fertur, certior de Lotharij Germanorum regis libidinoſa vita factus, qui Tilbergam coniugem legitimam dimiſerat, & nefarijs nuptijs VValdradam meretricem, forma quidem eleganti, ſed omni pellicatus genere nobilitatam ſibi iūxerat, diuinum anathematis fulmen in Lotharium, niſi VValdradam à ſuo thoro remoueret, iaculatus eſt.

3. Eodem quoque anathemate Treuirenſē

& Co-

& ColonienſemArchiepiſcopos,qui effrenatæ Lotharij libidini inſeruierant ſeuerè perculſit. Illi vero furoris & iræ magnitudine inſani facti, cauſam Lotharij ſcriptis defendendam ſuſceperunt; & quæcunque excogitare potuerunt conuitia in religioſiſſimum Pontificem Nicolaum contorſerunt. Sed eorum omnes calumniæ irritæ conciderunt, & vt Regino annotauit,nullum Lothario in maximis anguſtijs conſtituto præſentius & ſalubrius occurrit conſilium,quam VValdradam ablegare,& Tilbergam ſibi conciliare. Apud Auentinum acerbæ horum Archiepiſcoporum in Pontificem inuectiones, graues querelæ,& edita pro Lotharij cauſa patrocinia leguntur. Illyricus nihil quod in Pontificis dedecus redundaret,prætermiſit.Sed in Auētino ne Ioannæ quidem nomen expreſſum depræhenditur.In eo tamen Nicolai ad Imperatorem,& Galliarum Regem literæ inſeruntur,quibus vtrumque deLotharij adulterio monet,& vtriuſque auxilium implorat Nicolao tandem vita functo, quem vnum formidabat,Lotharius iterum ijſdem libidinis aculeis ſtimulatus, coniugem domo expellit,VValdradam reuocat, & ſe nefario adulterio fœdius,quam vnquam contaminat. Adrianus non minori,quam Nicolaus in publicum vitium odio incenſus, Lotharium arguit,monet,Romam citat.

Qui Lotharij partibus fauebant Epiſcopi interdum liberius de Pontifice obloquebantur.

4.

Sed quæ Regino hac de re copioſè ſcripſit,non erit à propoſito alienum proferre, vt quàm

Quæ de hac re Regino

Scripſeris. quàm parato in Pontifices animo illius ætatis Reges etiam profligatæ vitæ fuerint, omnes intelligant, & quantam in Reges quoque auctoritatem Pontifices habuerint, quamque acri & iuſto odio libidinoſos & adulterijs fractos principes inſectati fuerint, poſteri iudicent. Huius facti ſeriem Regino his verbis eſt complexus.

Anno Dominicæ incarnationis 869. Lotharius Romam profectus eſt, quò cum perueniſſet, ab Adriano Pontifice honorifice ſuſceptus eſt: qui ab eodem Præſule ſciſcitatus, ſi monita pij patris Domini Nicolai cum omni vigilantia hactenus obſeruata haberet, & præſtitum iuſiurandum inuiolato fœdere cuſtodiſſet; reſpondit ſe ita omnia obſeruaſſe, ac ſi diuinitus ſibi eſſent imperata. Cum proceres & optimates, qui cum eo venerant, eadem teſtificarentur, nec vlla oppoſita perſona inueniretur, quæ aduerſus regiam auctoritatem legitimum auderet controuerſiæ inire certamen, vniuerſalis Papa talia proſequitur, ſi veſtræ teſtificationis verbis veritas ſuffragatur, cum omni alacritate mentis omnipotenti Deo multiplices gratiarum actiones referimus. Reſtat ergo, fili chariſſime vt ad confeſſionem ſancti Petri accedas, vbi Deo propitio hoſtiam ſalutaré, pro tua non tam corporis, quam animæ incolumitate immolabimus, ex qua te nobiſcum participare oportet: vt per hanc participationẽ membris Chriſti, vnde abſciſſus eſſe videbaris, merearis in-

Digitized by Google

tis incorporari. Finitis igitur Miſſarum ſolemnibus inuitat ſummus Pontifex eundem regem ad menſam Chriſti, acceptoque in manibus corpore & ſanguine Domini, ita eum alloquitur. Si innoxium te recognoſcis à prohibito, atq; interdicto tibi à Nicolao adulterij ſcelere, & hoc fixa mente ſtatutum habes, vt nunquam diebus vitæ tuæ VValdradæ pellicis tuæ dudum à te repudiatæ miſcearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & ſacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſſionem peccatorum profuturum percipe: ſi autem tua conſcientia te accuſat, te lethali vulnere ſauciatum proclamat, aut iterum redire mente diſponis in mœchiæ volutabrum, nequaquam ſumere præſumas, ne forte ad iudicium, & condemnationē tibi adueniat quod fidelibus ad remedium preparauit diuina prouidentia: qui mente captus obduratus pariter & obcæcatus abſque retractatione cōmunionem corporis & ſanguinis Domini de manu pontificis ſumpſit, non expaueſcens illam ſententiam, quæ dicit, Horribile eſt incidere in manus Dei viuentis: qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Deinde conuerſus idem præſul ad ſequaces ac fautores regis, vnicuique communionē obtulit, in hæc verba, Si Domino ac regi tuo Lothario in obiecto adulterij crimine fautorem non præſtitiſti, neque conſenſum præbuiſti, & VValdradæ & alijs ab hac ſede Apoſtolica excommunicatis non communicaſti,

nicaſti, corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proſit tibi in vitam æternam. Igitur quiſquis, ait idem auctor, in his ſe læſum ſciens auſu temerario communionem ſub tali conteſtatione porrectam ſumere præſumpſit, diuino iudicio percuſſus ab hac luce ſubtractus eſt, antequam ſubſequentis anni rediret principium. Perpauci, qui ſe à communione ſubtraxerant, vix mortis periculum euaſerunt.

Pœna enim, vt ab Heſiodo dictum eſt, & peccatum ſimul naſcuntur, aut vt à Platone ſcriptum eſt, pœna ſcelus inſequitur, vel vt ſubtilius ab Horatio eſt excogitatum, *Raro antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.*

5. *Quid hic ſit obſeruandũ* Videant igitur aduerſarij, ſi tamen aliquid boni eorum mentes poſſunt capere, an Pontificum ſacra palatia eodem tempore meretricum fuerint domicilia, & officinæ, cum Pontifices tanto animi impetu ad Imperatorum libidines amputandas incubuerint. Si tam graui peccati macula Ioanna Apoſtolicã ſedem deturpaſſet, Nicolaus & Adrianus, nõ dicam Lotharium VValdradam, & Archiepiſcopos Colonienſem & Treuirenſem excommunicare, ſed ne vel leuiſſimo verbo cõmouere auſi fuiſſent. Deteſtandum enim Ioannæ facinus in omnium oculis poſitum, latiſſimam de Pontificia ſede detrahendi viam aperuiſſet, ipſumque Imperatorem ſimili audacia armaſſet. Nunquam Nicolaus his verbis

in ſua

ſua epiſtola vſus fuiſſet; *Is, qui inauditis voluptatum blanditijs irretitus Imperatoriam maieſtatem, & ſacram purpuram omni libidinis vitio contaminauit, Imperatoria auctoritate dignus non eſt* Si ab ea ætate Ioannæ memoria fuiſſet remota, potuiſſet Nicolaus liberè ita ſcribere, ſed cum ei ſucceſſiſſe dicatur, ſi hæc in pontificatu ſediſſet, nunquam his ſcribendis literis manum admouiſſet. Imperatoriæ factionis patroni, qui plurimi erant, nō defuiſſent, hancque ignominiam nunquam tacuiſſent. Eadē animi conſtantia Patriarchæ Conſtantinopolitani nouam & inauditam Imperatorum Græcorum luxuriam & intemperantiam inſectati ſunt. Ignatius enim Bardam, qui Michaelis Imperatoris res adminiſtrabat, & poſt illum Imperator deſignatus erat, publica ſententia ab Eccleſiæ corpore ſeparauit: eodem quippe Barda, quo Lotharius, adulterij & diuortij grauiſſimo crimine erat impeditus. Quot turbæ in Græcia fuerint excitatæ, quot Epiſcopi qui Ignatij iuſtiſſimæ cauſæ fauebant, de ſuis Eccleſijs deturbati, quomodo deniq; ipſe Ignatius vi & armis de ſuo ſolio depulſus, & in illius locum Phocius ſuffectus fuerit in præſentia non aperio. Hoc mihi vnum ſufficit, nec Phocum poſtea à Pontifice Romano anathemate damnatum, nec Michaelem in Latinam Eccleſiam malè animatum, nec Bardam eidem infenſiſſimum, has Ioannæ pſeudopontificis ſordes, quas non prętermiſiſſent, nunquam propoſuiſſe.

Extat

Digitized by Google

6. *Michael Imperator ſedis Apoſtolica, & Romanæ hoſtis*

Extat adhuc Michaelis ad Nicolaum Epiſtola conuitijs plena, in qua, nulla quæ ad Romanæ vrbis ignominiam viuis coloribus depingendam faciunt lineamenta, prætermittit. Eam nunc alteram barbaram & agreſtem Scythiam, nunc ambitionis officinam, nunc Martis receptaculum appellat: numquam tamen Ioannæ meretricis ſedem & receptaculum, quod à ſolis noſtri temporis hæreticis eſt vſurpatum, nominat. Hæc vna erat iniuria, quæ doloris aculeos altius infigere, grauiori vulnere lædere, & diuturnam cicatricem imprimere & inurere poterat, reliqua conuitia & probra, vtpote conficta, tanquam tela hebetiora nullam plagam inſligebant. Romanus Pontifex tanquam ſapiens orbis moderator bonorum omnium teſtimonio fretus, non contrarijs maledictis, quibus nunquam modus decernitur, Michaelem appetijt, ſed ei modeſtè reſpondit, totum terrarum orbem, quæ ſcripſerat, & ſparſerat, mendacia eſſe, ſcire. Hic conſultus prætereo Philippum primum, & Philippum ſecundum, qui cum Vrbano ſecundo, Paſchaſio ſecundo, & Innocentio tertio inimicitias geſſerūt: & quamuis ducentis aut trecentis annis poſt fictum Ioannæ pontificatum imperarint, nunquam hanc infamiæ notam, quam haud dubio attigiſſent, nomini Romano exprobarunt.

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

1. *Omnia eo tempore à Pontificibus pendebant.*
2. *Multæ in quoslibet abuſus promulgatæ leges.*
3. *Aduerſariorum obiectio.*
4. *Populus omnia palam fundit.*
5. *Pontificum ſanctiones interdum diſputatione examinatæ.*
6. *Sæpius reſciſſæ.*

QVo tempore hanc Pſeudopontificem proponunt, omnia Chriſtiani orbis regna & imperia ſummo omnium ordinũ conſenſu ab auctoritate Pontificia pendebant, & illius nutu cuncta adminiſtrabantur. Ad Curiam Romanã cauſæ totius orbis ambiguæ, & ſingula maximi ponderis negotia, tanquã ad eam, quæ reliquarum erat princeps & magiſtra, referebãtur. Quæ cùm ita ſint, vt omnes, qui ad ſcribendam hiſtoriam animum appulerunt, palam fatentur; aliqua huius Ioannæ veſtigia impreſſa vellem contemplari. Vbinã concilia illius mandato congregata? Synodi celebratæ? bullæ expeditæ? litteræ ad Principes datæ? beneficia collata? & vel minimæ ſanctiones, quæ vel ad Eccleſiaſticum ſtatum, vel ad politicum ordinem, quæ ad pacem aut ad bellum ſpectarent, reperientur? Solus Baleus, & Centuriatores ab ea presbyteros aliquot, diaconos, & Abbates fuiſſe creatos, & legem

1. **Omnia eo tempore à Pontificibus pendebant.**

legem, qua intra centum annos bona Eccleſiæ aut vendita aut abalienata repetere liceat, promulgatam fuiſſe, commentantur. Sed talium tabularum pace dixerim, hoc proſcriptionis diuturnioris priuilegium multis ante annis à Iuſtiniano Eccleſiæ liberaliter conceſſum fuerat. Exemplaria harum ſanctionum oſtendant, libros in quibus leguntur ſignificent, titulos, ſi quos habent, paratos proferāt Non minori, vt opinor, cura in vno ſolo oſtēdendo Baleus laboraret, quam in Magiæ libro, quem à Ioanna compoſitum fingit, & poſteritati relictū, producendo. Vbi verò ſcriptores, qui hæc ſtatuta & decreta litteris man darunt? In Eccleſia ſemper hominum eruditorum frequentiſſimus fuit numerus, qui res in orbe Chriſtiano geſtas collegerunt, & nihil, quod poſteritate dignum eſſet, labi permiſerunt. Ex antiquis monumentis, quibus diebus, quoties, quo in loco pontifices ſacros ordines aliaſque dignitates contulerint, certo ſcimus; Leonem tertium Epiſcopos centū & viginti ſex, Staphanum quintum quinque, Sergium ſecundū viginti tres, Leonem quartum ſexaginta tres, Benedictum tertium viginti, Nicolaum ſexaginta huinque creaſſe legimus. Nullum autem quius Ioannæ tempori Epiſcopatu initiatum reperimus. Eadem ætate Italia continuis Saracenorum incurſionibus appetebatur, & priuatis quorundam nobilium diſcordijs, qui multos in ſuas partes trahebant, ſæpius affligebatur: in quibus

aut

aut repellendis, aut componendis Pontifices toti erant poſiti. Sola hæc Pſeudopontifex pacata fuit, & nullis negotijs ſe impediuit.

Præterea cùm permultæ vtiliter ſancitæ fuerint leges, quibus omnia impendentia mala, quæ in ſummorum Pontificum creatione poſſent euenire, ſapienter auertuntur, nulla tamen reperitur, quæ huic ſcandalo medeatur, ne mulier ſcilicet in pontificatum admittatur: Nunquam enim cordatis hominibus huius criminis ſuſpicio in mentē venit. Nullum verò eſt impedimentum, quod in diſceptationem & quæſtionē cadere poſſit, quod non Theologi & Canoniſtæ propoſuerint, ſummoque ingenij acumine inueſtigarint. Hoc vnum ſolum intactũ reliquerunt, An ſi qua mulier fraude in Pontificatum aduolaret, quæ ab illa ſtatuta fuiſſent, valida poſtea cenſerentur. Si tantum malum contigiſſet, hanc quæſtionem in omnes partes accuratè tractaſſent & cum ea, quam Barbarius Philippus prætor Romanus excitauit, coniunxiſſent. Etenim ad minoris momenti quæſtiones diſcutiendas multi induſtriam ſuam contulerunt; & libros integros, qui lectorum oculos ſuſpenſos tenent, de his ediderunt. Sed paratum habent, quo ſuam tueantur hæreſim, aduerſarij, refugium. Quodnam illud? Omnia Ioannæ ſtatuta, decreta, & acta damnata & ſuppreſſa fuiſſe. Sit ita: ſed à quibus ea ſententia eſt lata? in quo Conciliorũ tomo ſcripta? in quibus terrarum oris reperta? Apud, vt opinor,

2. Multæ in quoslibet abuſus promulgatæ leges.

pinor, Garamantas & Indos, ne dicam apud Anglos & Germanos hæreticos.

3\. *Aduerſariorũ obiectio.* Nullum ſane locupletius teſtimonium hac damnatione, ſi vnquam audita fuiſſet, edi & haberi potuiſſet. Magiſtratus omnes, qui ab ipſa creati fuerant, ij qui Curiæ præpoſiti, alij qui varijs muneribus præfecti, in iudicium vocati fuiſſent, iacturamque fortaſſe dignitatum feciſſent, & ſua acta reſcindi vidiſſent. Si enim res quæ prudenter ſancitæ ſunt, & ab eo, cui ius & poteſtas ineſt, promulgatæ, interdum in controuerſiá reuocantur; quid de decretis à fœmina pſeudopontifici editis, cuius imperium boni oẽs refugiunt, factũ fuiſſet? Reclamaſſent vniuerſi orbis Epiſcopi, & Synodum aut Concilium coegiſſent, in quo res omnes ab ea geſtas publica ſententia damnaſſent. At nunquam ſimilem cauſam in diſputationem veniſſe, & vniuerſum orbem obmutuiſſe ſcimus.

4\. *Populus omnia palam fundit.* Rectè, inquiunt aduerſarij, quia vt nemo eam nominaret, nemo de hoc facto loqueretur, nemo illius ſanctionibus vteretur grauiſſimis propoſitis pœnis cautum eſt. At populus coerceri non poteſt, lingua illius contineri, & quin rumor aliquis erumpat, impediri. Quamuis exercitus ad eam rem cõparatos habuiſſent, & in ſingulis vrbibus, imò in priuatis domibus cuſtodes, qui id prohiberent, collocaſſent, non tamen ora populi occluſiſſent: quanto enim magis rem ſilentio tegi præcepiſſent, tanto magis diuulgaſſent.

Digitized by Google

Eò enim, vt ait Seneca, *ingenia elata & ſuperba tendunt, vt in vetitum nitantur, & negata appetant*. Et, vt Tacitus inquit, *quæ prohibentur, curioſius indagantur, & maiori titillatione & applauſu excipiuntur*. Imo verò ſi acta illius aut in dubium reuocata, aut damnata fuiſſent, memoriam tanti monſtri propagaſſent.

Sed quorum erat ea vel labefactare, & perfringere, vel approbare, & confirmare? Non alterius, quam Benedicti, qui proximè ei ſucceſſit, in cuius tamen aures nunquam talem diſceptationem perueniſſe legimus. Similes enim controuerſias dirimere, & quid ſequendum ſit definire, Pontifici incumbit, præterea nemini. Sic olim Bulgari Nicolao Magno propoſuerunt, an acta illius, qui ſe Sacerdotem finxerat, cum ſacris initiatus non eſſet, rata eſſe deberent, an irrita: quibus ille, litteris ad eos datis, quæ adhuc extant, cumulatiſſime ſatisfecit. Hic duo è Sigeberto & alijs petra exempla inſerere, à propoſito non erit alienum. 6. *Pontificum ſanctiones interdum diſputatione examinata.*

Formoſo vita functo, Stephanus ſeptimus, qui ei ſucceſſit, omnes Sacerdotes quos Formoſus ſacris initiauerat, exauctorauit, & omnia quæ ab eo geſta, ſcripta, decreta fuerant, irrita eſſe declarauit, & plane ſuſtulit. Nullum enim in eo ius & auctoritatem reſidere dicebat, qui anno 880. à Ioanne octauo ignominioſè de gradu ſemotus fuerat, & nunquam Eccleſiaſtica munera tractaturum, ſed vitam laicam & communem ſe ducturum pu- 6. *Sæpius reſciſſa.*

blicè promiſerat. Ita ante illum Stephanus tertius omnes Conſtantini, Totonis Nepeſinorum ducis fratris, ſanctiones reſcidit: malis enim artibus ad Pontificatum fuiſſe prouectum cenſebat. Itaque ſi hæc Ioanna aliquando Eccleſiæ gubernacula tenuiſſet, nunquam, qui eam ſubſecuti ſunt ſummi & religioſi Pontifices, Nicolaus, Adrianus, & Ioannes illius acta vim habere paſſi fuiſſent. Noluiſſent enim totius orbis Antiſtites diuturno hoc ſilentio deteſtandam hanc electionem fixam & ratam habere, famemque ſuam ignominia, quæ nulla ætate elui potuiſſet, conſpergere.

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

1. *Omnia fabuloſa etiam fundamento aliquo nituntur.*
2. *Vnde occaſio Ioannæ confingendæ nata ſit, Auentinus explicat.*
3. *Ioannes nonus quare Ioanna dictus.*
4. *Vitia ſæpius hominibus nomina imponunt.*
5. *Ioannes duodecimus multis vitijs contaminatus Pontificatum occupat.*
6. *Tres eiuſdem inſignes meretrices: quarum vnam huic fabulæ initium dediſſe veriſimile eſt.*

QVæcunque ab antiquis illis poetis tùm Græcis, tùm Latinis excogitata ſunt figmenta, quæcunque adinuenta animo & cogitatione argumenta, quæcunque verſu deſcripta ſimulacra, vt res, quas numeroſa narratione depingunt, adornarent, & aures ſuauitate quadam titillarent, ſua habent veriſimilia fundamenta, quibus innitantur. Ita planè hæc, quæ de Ioanna pſeudopontifice narratur fabula, aut à Ioanne nono, aut à Ioanne duodecimo, quorum mores fuerunt effœminati, exordium traxit. Fucis enim quædã ineſt veri ſpecies, quibus oculos mali fallunt. 1. *Omnia fabuloſa etiam fundamento aliquo nituntur.*

Ne quis verò exiſtimet me primum omnium hæc confingere, & huius fabulæ ortum

2. *Vnde occaſio Ioannæ confingendæ nata ſit Auentinus explicat.* augurari; quæ ab Auentino hac de re exarata ſunt audite; Albertus, inquit, locupletiſſimus Ethruriæ princeps Rauennam, Bononiã, Romam in poteſtate habuit: eius ſocrus Theodora ſcortũ nobile atq; imperioſum Romæ dominabatur, Ioannemq́; nonum amatorem ſuum Bononienſibus primo, deinde Rauennatibus, poſtremo Romanis impoſuit, primariumque ſacerdotem creauit, vnde fabellam ortã crediderim, quæ temere vulgarit, hiſce temporibus fuiſſe Sacerdotem maximam fœminam, quæ appellata ſit Ioannes.

3. *Ioannes nonus quare Ioanna dictus.* Itaque cum Auentinus in eodem natali ſolo, è quo primum hæc fabula prodijt, ortus eſſet: nemo illo melius cauſam potuit ſcire, quæ populi animos ad effœminatum, & molle hoc nomen Ioanni pontifici imponendum incitauit. Theodora enim opibus & auctoritate potens, quem in ſano & turpi amore cõplectebatur Ioannem, ad Pontificiam dignitatem euexit. Ille vero libidine obcæcatus ita ſe à miſera & infœlici meretrice tanquam vile mancipium capi & regi permiſit, vt nihil ea inſcia & inconſulta moliretur. Luitprandus Ticinenſis ſordidos vtriuſque complexus, & profligatos mores, ac infelicem funeſtæ huius tragœdiæ Cataſtrophẽ latè proſequitur. Filia enim Theodoræ tantã in matre turpitudinẽ non ferens à quibuſdã clam ad hoc facinus comparatis & corruptis hominibus, Ioannem verè Ioannam appellatam ſtrangulari & ſuffocari curauit. Toto autem Pontifi-

catus

catus tempore Circes poculo eneruatus omnia voluntate & libidine Theodoræ, quæ eū quaſi vinculis alligatum tenebat, non ſuo arbitrio, non bonorum conſilio adminiſtrabat Ideo cum tam abiectus & mollis eſſet, vt ſe nobili & inſigni ſcorto regi omnino pateretur, quaſi hominis nomine indignus, populari ſcommate Ioanna eſt appellatus. Vt enim inquit Cicero, *an ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, iubet, vetat quod videtur, cui nihil imperāti negare poteſt, nihil recuſare audet: ego vero iſtum non modo ſeruum ſed nequiſſimum ſeruum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto.*

Vitia vero, quæ vel in animo vel in corpore deprehenduntur maximam ad nomina imponenda vim ſortiuntur. Ita conſuetudine loquendi comparatum eſt, vt crudeles, Nerones; libidinoſos & voluptuarios, Epicureos; timidos, effœminatos vocemus. Præclarè igitur Charondas legislator ſanciuit, vt qui in acie terga vertiſſent, in foro tribus diebus muliebri ſtola induti populo proponerentur, vt ſic ignauiam publica ignominia luerent. Eſt hic tritus & familiaris Homero reliquiſque poetis loquendi modus, vt Agamēnon ira ſuccenſus, dum tergiuerſantes milites aduertit, mulieres Græcas nominet. Alter vero dux, Aeneę milites ad pugnā tardiores fęminas Phrygias vocet. Imò ſic ab illi Paris deſcribitur, vt poti⁹ delicata muliercula, quam vir

4. *Vitia ſæpius hominibus nomina imponunt.*

vir videatur. Sic & olim Sardanapalus fœmina dictus fuit; de quo ita Iuſtinus; Fuit hic omnis generis luxuriæ deditus, nec erubuit inter ſcortorum greges nere & muliebri habitu fœminas anteire. Quamobrem indignati Aſſyrij tali fœminæ parere, duce Anthrace deſciſcentes bellum Sardanapalo intulerunt, qui victus in regiam ſe recepit, ſe atque diuitias in incendium miſit. Nihil de Commodo dico, qui cùm Martiæ amore ardentius inflãmaretur, eiuſdem muliebrem veſtem induit. Nihil de Claudio loquor, quem potius telluris inane pondus, aut truncum & ſtipitem, quam hominem appellaueris.

5. *Ioannes 12. multis viti js contaminatus pontificatum occupat.*

Onuphrius autem aliam probabilem ſatis coniecturam ſectatur, quàm ſe à Luitprando mutuatum fuiſſe teſtatur. Ait enim totam hanc fabulam non aliunde quàm à Ioãne duodecimo manaſſe, cuius vita, vt ait Cedrenus, omni vitiorum genere fuit contaminata. Hic cùm tanquam prædo Pontificatum occupaſſet, bonis omnibus moleſtiam faceſſebat; Cardinales verò rei indignitate permoti, vt eum deponerent, ab Othone Imperatore auxiliũ implorarunt. Sed à ſuis Ioannes monitus omnia crudelitatis genera in quoſdam barbarè exercuit, & nonnullis nares & manus amputari iuſſit. Nulli autem alteri rei, niſi abdomini & voluptati explendæ, in qua vitam terminauit, turpiter vacabat. A marito enim cuiuſdam mulieris in adulterio, vt plerique ſcribunt, & in ipſo coniugis complexu depre-

Digitized by Google

prehenſus miſerrime fuit trucidatus.

Hic igitur omnis voluptatis illecebris deditus, virtuti nuntium remiſit: & tres eleganti forma meretrices, Ioannam, Reyneriam, & Stephaniam habuit, quas omnes vehementer adamauit; ſed Ioannam maximè, quæ reliquas forma ſuperabat. Cùm populus autem omnia huius Ioannę arbitratu adminiſtrari videret, eam Pontificem appellauit, & tanquam portentum humanæ naturæ Ioannem amatorem deteſtatus eſt. Hinc ſedis Apoſtolicæ hoſtes anſam Ioannæ confingendæ acceperunt, quā in Ioannis ſeptimi aut Ioannis octaui locum fraudulenter ſuffecerunt. Scio quidem eos huic noſtræ ſententiæ refragari, & Anaſtaſium, Nicolaum, Adamarum, Lupum, Luitprādum, Auentinum, & Onuphrium reijcere: ſuos autem authores, qui ſola incerta & vaga fama poſt quadringentos annos percepta nituntur, admittere. Sed vt eò iudiciorum ſuorum lances inclinent, priuata hæreſis defendendæ cauſa efficit.

6. *Tres eiuſdē inſignes meretrices quarum vnam huic fabulæ initium dediſſe veriſimile eſt.*

CAPVT XXX.

1. *Quare Ioannam anno 854. Pontificatum geſſiſſe dixerunt.*
2. *Quam ob cauſam ei nomen Ioanna impoſuerunt.*
3. *Cur eam inter Pontifices huius nominis retulerunt.*
4. *Sergius, primus omnium nomen mutauit.*
5. *Ioannes duodecimus Octauiani nomen reliquit.*
6. *Quare Pontifices nomina mutent.*

1. *Quare Ioannam anno 854. Pontificatum geſſiſſe dixerũt*

NOn inconſulto egregij fabularum architecti ſuam Ioannam ad annum octingenteſimum retulerunt. Ea enim ætate Theodora imperatrix mulier in negotijs tractandis verſata, vniuerſum ferè terrarum orbem & imperium regebat: cui cùm ſolius nominis, non ſanguinis, cognatio & ſimilitudo cum altera Theodora Ioãnis noni, vt ſuperius aperui, meretrice & amica intercederet, quicquid huius ſcorti tẽpore geſtum eſt, propter nominis ſimilitudinem, hi noui mendaciorum magiſtri ad Theodoræ Imperatricis æuum transtulerunt. Quamuis autẽ inter vtrã que Theodoram triginta & plurium annorũ intercapedo ac interuallum appareat, facilè tamen fuit vafris veteratoribus, (quod familiariter in res à noſtra memoria remotas ca-

dit) tempora viciſſim confundere.

Ad hanc vero fraudem aliam non minorẽ adiunxerunt. Suam enim Ioannam in Ioannis octaui ab illis excogitati locum, cui Benedictus tertius ſucceſſit, veteratoriè ſuffecerunt. Ioannem ſiquidem nonum (ob effœminatam mollitiem, qua diffluebat Ioannam dictum) alter Benedictus, ſed illius nominis quartus ſubſecutus eſt. Itaque eadem nominũ ſimilitudine & analogia, quæ minus cautos fallit, freti, & res geſtas & tempora confuſione implicarunt, rudibuſque impoſuerunt. Ioannæ autem nomen, quod magis in hominũ ore verſatur, primum illis occurrit, & fabulæ viſum eſt accommodatum. Eum enim cuius nomen ignoramus trita loquendi conſuetudine ſæpius Ioannem vocamus. Nomen quidem natura ſua auguſtum eſt, & diuinum; cuius notationem ſi ſpectes, Aegyptiaca lingua, potentem, Hebraica verò, Dei gratiam ſignificat: ſi autem hominum malitiam, quæ rebus etiam ſacris abutitur, aliquid vile & abiectum denotat. Nomen hoc verò Scotis & Neapolitanis infauſtum fuit, cum aliquæ eorum reginæ Ioannæ appellatæ regna ea perturbarint. Gallis quoque ab eo tempore, quo Ioannes rex captus fuit, viſum eſt infortunatum. Non ſolum autem à plebeis, ſed ab alijs iniuriæ loco vertitur. 2. *Quam ob cauſam ei Ioannæ nomen impoſuerunt.*

Cur autem potius fictam hanc meretricem Ioannam appellarint, & aliorum Pontificum nomina, quæ varia occurrunt, non

vſur-

Digitized by Google

3 vſurparint, verior ratio menti obijcitur. Hiſtoria enim eorum Pontificum, qui multi fuerunt, & hoc Ioannis nomen ſibi vendicarũt, ita eſt varia & implicata, vt confuſione non careat. Eam maximè Ioannes duodecimus, de quo ſupra diſceptatum eſt, attulit; qui cum de ſede Pontificia deturbatus & expulſus meritò fuiſſet, rurſus eandem vi & fraude occupauit, occaſionemque hiſtoricis quibuſdam, qui Pontificum vitas complexi ſunt, duos fuiſſe Ioannes cogitandi ſuppeditauit. Fortaſſis etiam eam, in eorum Pontificum catalogo, qui Ioannis nomine donati ſunt, collocarunt, quia ex his nonnulli dignitatis ſuæ obliti ſe voluptatum illecebris tradiderunt. Nolim hic ſanctiſſimis Patribus, qui Angelorum caſtimoniam in terris imitati ſunt, & Dei Eccleſiam ſumma integritate rexerunt, iniuriam facere, ſedique Apoſtolicæ, quæ à Chriſto nobis tradita eſt, labem inurere. Si enim in tanto numero aliqui, ijque pauci perditæ vitæ reperti ſint, hominibus, quorum mentes in malum propendent, non officio, quod ſanctum & ſacrum eſt, tribuendum puto. Hoc vnum vero obſeruaui, nullum ferè eorum, qui legitima via & Spiritus ſancti diuino afflatu electi ſunt, a virtute deflexiſſe: aliquos vero qui aut corruptelis, aut Principum factionibus, alijſue artibus eam dignitatem vſurparunt, non ita piè vixiſſe.

Cur eam inter Pontifices huius nominis retulerint.

4 Sed dum eò me prouexit oratio; ab aduerſarijs, qui ita liberè & audacter de Ioanna loquun-

...s pri-

equuntur, peto, quodnam ei nomen eſſet, cùm Romæ tanquam publicus doctor ſcientias è ſuperiori loco profiteretur? Ioannes, inquiũt, Anglus appellabatur: Agnetis enim & Gilbertæ, vt facilius diliteſceret, ſexumque mentiretur, vocabula muliebria ablegarat. In Pōtificatum igitur adſcita & vocata contra peruagatum morem, proprium nomen non mutauit. Sergius enim eam laudabilem conſuetudinem aliquibus antè annis inuexerat, vt electi Pontifices priuſquam è conclaui pedem efferrent, nomina propria mutarent. Scio quoſdam ſcribere, ideò aliud nomen ſumpſiſſe, quia proprium non ſatis honeſtum, & tantæ dignitati congruum non videbatur. Sed non parum hallucinantur. Os enim Porci non ei proprium nomen erat, ſed nobilis & illuſtris familiæ, è qua originem ducebat cognomen erat. Itaque à patre, qui Sergius appellabatur, & cuius memoriam colebat, Sergij nomen accepit: & Chriſtum imitatus eſt; qui cum Petrum ad tantam auctoritatem vocaret, Petri nomen, quo antea non vocabatur, eidem impoſuit.

[mus omniũ nomen mu tauit.]

Non ignoro Platinam, qui ſæpius in alijs etiam rebus lapſus eſt, hanc conſuetudinem Ioanni duodecimo acceptam referre; qui cũ antea Octauianus vocaretur, nomenque hoc potius militarem laudem & faſtum, quàm pietatem Chriſtianam redolere videret, Ioannis nomen alio relicto mutuatus eſt. Verũtamen veriſimile non eſt, vt is conſcientia & 5.

Ioannes duodecimus Octauiani nomen reliquit.

religi-

religione ductus hanc conſuetudinem primus inuexerit,& ab ethnico & militari nomine abhorruerit; cùm poſtea tanquam alter fictus Nero toto Pontificatus curſu diſſoluta libidine diffluxerit, & feritatem barbaram exercuerit. Meliori fortaſſe, cùm electus eſt, erat vita. Deus enim, vt Theophylacti verbis vtar, cum aliquem vocat, ſtatum & præſenté iuſtitiam illius intuetur: non autem quam quaſi in ſpecula poſitus præuidet, malitiam futuram.

6. *Quare Pontifices nomina mutent.*

Sed ab externis & peregrinis hominibus cauſam non aſpernandam mutandorum nominum lubet petere. Sic igitur Chalcocondylas in ea, quã de Turcis exarauit, hiſtoria, loquitur, cùm de noſtrorum Pontificum electione agit. *Conſuetudo*, inquit, *inueterata eſt Pontificis electi nomen immutare, quaſi ad gradũ natura altiorem, & alium ordinem, quo priuatus antea non fruebatur, conſcenderit.* Quamuis autem Sergius, vt patri honorem deferret, aut Ioannes, vt Octauiani vocabulum tumidum & ethnicum deponeret, alia magis tantæ dignitati conſentanea nomina aſſumpſerint: hunc tamen qui eos ſubſecuti ſunt Pontifices morem amplexi ſunt, vt hoc ſymbolo oſtenderent veterem hominem, quemadmodum Adrianus dicebat, eſſe exuendum, & nouum induendum ei, qui hoc onus Atlantis etiam humeris formidabile ſuſciperet. Syluestrum enim alia ratione, quàm cũ eſſet Gerbertus, Cle-

Clemētem, quàm cùm eſſet Herebertus, Clementem, quàm cùm eſſet Bertrandus, Pium, quàm cùm eſſet Michael, oportuit mores & vitam compoſuiſſe. Ea tamen conſuetudo nō impedit, quo minus, qui electi ſunt, ſi ita videatur, & placeat, propria & antiqua nomina retineant; quod Adrianum ſextum, & Marcellum ſecundum ſine controuerſia feciſſe legimus.

CAPVT XXXI.

1. *Paladini & Rolandi fabulæ.*
2. *In medijs etiam tenebris veritas elucet.*
3. *Maledicendi petulantia aures paſcit.*
4. *Auctores, qui hanc Ioannæ fabulam attigerunt.*
5. *Nimis multa in hoc commento inaudita.*
6. *Totius operis concluſio, & auctoris excuſatio.*

NVllum inter omnia, quæ ſingulis ætatibus emerſerunt figmenta, hoc vno, quod toto hoc opere refutādum ſuſcepimus, abſurdius eſſe exiſtimo. Si enim huius cōmēti auctores ſpectes, nihil illis vilius; ſi probationis genus, quo ſuū inuentū ſulciunt, nihil infirmius; ſi rerum ordinē, nihil obſcurius; ſi coniecturas, nihil incertius; ſi rationes, nihil debilius reperies. Quid enim ex omni parte diſputationis ſeptum, quid munitum, quid

1. *Paladini & Rolandi fabulæ.*

quid inexpugnabile proferunt? Corruunt vel leuiori machina appetita, quæ ab illis firmiſſima cenſentur propugnacula, conquaſſata iacent mœnia, euerſa munimenta, dirutæ arces, & ne vel minimum, quo ſe recipiant, integrum tectum inueniunt. Nolim autem eum inani quodam & populari rumore gloriari, qui fabulam hanc, quemadmodum & reliquos vagos & incertos hominum ſermones toto ferè terrarum orbe ſparſit. Hoc enim eſt omnibus fabulis commune, vt ſenſim enaſcãtur, augeantur, confirmentur. Sic paulatim fibras emiſit inſignis ea quæ tota Gallia iactatur de Rolando & Paladino fabula, non tantum à plebeis, ſed etiam à grauioribus auctoribus poſteritati tradita, & noua rerum inuẽtione aucta. Tantis autem laudum præconijs vterque ab illis extollitur, vt fictos illos Gigantas, qui bellum ſuperis indixerunt, aut Homericum Achillem, aut potius ipſum Martẽ bellorum Deum eſſe tibi perſuadeas. Rolandi autem enſis toto orbe decantatus, & ab acuta & idomita acie vulgari vocabulo Durãdallus vocatus ita laudatur, vt nullum ſaxi, nullum marmoris, nullum chalybis genus poſſit ei reſiſtere. Non aperio quanta de Ganelone, de maxima auri & argenti copia ab eo accepta, de inſidijs ab eo paratis adiungantur. Hæc quidem cùm ſint ab otioſis hominibus excogitata, ad fallendum tempus comparata, ad pueros oblectandos accommodata, in vero tamen hiſtoriarum catalogo numerantur,

rantur, & ab eruditis interdum tractantur. Tantam enim, vt ait Pyndarus, ſuauitatem fabulæ ſibi vendicant, vt in quamcunque mentem influxerint, eam excæcatam reddant. Itaque è vero hiſtoriæ curſu abradenda eſſent omnia, quæ ad ſolam oblectationem captandam ſunt addita. Rolandum quidem fuiſſe ſcio; ſed tot bella confeciſſe, tot hoſtes confodiſſe, tot labores exantlaſſe, quot ab huiuſmodi ſcriptoribus percurruntur, nemo ſanæ mentis affirmabit. Turpinus enim Archiepiſcopus, & Eginardus qui res à Carolo Magno geſtas litteris mādarunt, hoc ſolum ſcribunt; Carolo Magno, cùm ex Hiſpania rediret, in extremis Cantabriæ finibus inſidias fuiſſe paratas, acremque ibi initam pugnam, & in ipſa dimicatione Rolandum deſideratum. Si quis tamen, quæ de Rolando confinguntur falſa eſſe diceret, tota penè Gallia reclamaret. Sic Anglia, ſiquis in ſuos Merlinos & Arturos inſurgeret, ęgrè admodum cenſuram ferret. Tantum enim poteſt opinio antiqua, & popularibus mentibus inueterata, vt veritati non cedat, & ijſdem interdum, quibus veritas inuoluatur veſtibus. Præclarè ergo dictum eſt, à Philoſopho quodam, *Neſcio quo caſu illud euenit, vt falſa potius quam vera animum noſtrum capiant.*

Rumores enim, qui vulgo feruntur, ambabus, vt dicitur, manibus amplectimur, & aures noſtras primis, qui occurrunt, vltrò damus; deinde quæ ab alijs accepimus men-

daciorum ſemina,alienis ſulcis & agris mandamus: quæ vbi radices egerunt, adoleuerũt, & altius ſe erexerunt,vix euelluntur. Id in Rolandi,Merlini, & Ioannæ fabulis clarum eſt; quas refutare eſt moleſtum, falſitatis & vanitatis arguere opus arduum, è mentibus, in quibus inſederunt, extirpare laborioſum. Ingenia enim noſtra, vt antiquus quidam philoſophus dixit, inſtar tenuioris arboris, quæ huc & illuc flectitur, vulgaribus opinionibus imbuta, in ſententias à ratione alienas feruntur,aut inſtar maris procelloſi, varijs turbinibus agitata in ſcopulos longè à veritatis portu remotos impelluntur.

2. *In medijs etiam tenebris veritas eluceret.*

Verum enimverò in tam denſis & cæcis, quibus ſabulæ inuoluuntur tenebris aliquis ſemper veritatis radius affulget, qui caliginem diſcutit;& errorem omnibus prodit. Deus enim eam voluit eſſe erroris & mendacij naturam,vt quamuis omnibus inuolucris tegeretur, tandem aliquando fucus illius adulterinus pateret. Hoc ego in hac,Ioanna expertus ſum; quam licet hæretici omni pigmentorum genere adornarint, ſic tamen nudam omnium oculis propoſui,vt nihil prę ter vmbram & inanem imaginem eſſe quiuis contempletur. Sæpius autem demiratus ſum, quomodo tantum auctoritatis apud eruditos hæc fabula ſibi vendicarit, cum nihil in ea, quod ſibi cohæreat, deprehendatur. Plebeis quidem animis, qui cum nutricis lacte hunc errorem ſuxerunt,indulgendum eſſe cenſeo.

Popu-

Digitized by Google

Populus enim Theramenis cothurnis ad omnes pedes excipiendos comparatis ſimilis eſt, & nunc hac, nunc altera opinione in varias partes diſtrahitur Populi, vt Pindarus dicebat, cerebrum, eſt errorum, qui paſſim aboriuntur, fœcundum ſeminarium.

Aures enim patentes atque expoſitas potius rebus fictis & vanis, quàm veris & ſalubribus accommodat. Cucurbitulis ſiquidem, quæ medicorum conſilio carni admouentur, ſimiles ſunt, quæ ſanguinem corruptum ſugunt, & ad ſe rapiunt. Ideo Demoſthenes, qui populi naturam exploratam habebat, præcipuam eloquentiæ popularis partem, calumniandi, & acrius in alienam vitam debacchandi artem eſſe dicebat. Hac vna arte auditor, qui orationis impetu permouetur, rebus fictis delectatur, criminationibus paſcitur, facile oratori conciliatur. Deinde ita comparatæ ſunt hominum voluntates, vt potius in conuitia, quàm in bonorum laudes propendeant, & citius vagis rumoribus, quã rebus conteſtatis fidem adhibeant. Quæ verò ab alijs audiuimus & accepimus, tanquam oracula colimus, & ægrè admodum de noſtra opinione dimouemur. Hoc vnum autem inter reliquas fabulas, quæ à poetis & alijs tractantur, & hanc, quæ de Ioanna fertur, diſcrimen eſſe exiſtimo. Cæteræ enim ipſo titulo ſe produnt, & tales haberi volunt: hæc autem vario acerſito fuco ſplendidum hiſtoriæ nomen ſibi arrogat.

5. *Maledicendi petulantia aures paſcit.*

Digitized by Google

Scio equidem hæreticos de me hoc dictu-ros, me ſolum in eos hac in cauſa gladium di-ſtringere, & rem quæ ab omnibus creditur, quæ publica fama (quæ nihil, vt ait Plutar-chus, fruſtra diſſeminat) toto orbe ſpargitur, quæ multorum annorum curſu vera habe-tur, omni telorum genere, acriùs quàm par ſit, appetere. Equidem hoc aduerſarijs conce-dam, hanc tritam & peruagatam plebeios a-nimos inuaſiſſe fabulam ab eo tempore, quo inter Imperatores & Pontifices inteſtina ex-arſerunt odia. Imperatoriæ enim factionis homines eam adinuenerunt. Verùm tandem aliquando tempus, quod, teſte Pindaro, dolos & fraudes detegit, veritatem protulit. Solus quidem non ſum, qui hanc mihi gloriæ & laudis palmam poſſim arrogare: nec tam in-uerecundus ſum, qui primus hanc mihi ve-lim palmam præripere. Ante me Bucchinge-rus in Germania, Bartholomæus. Carranſa in Hiſpania, Onuphrius, & eruditus Bellarmi-nus in Italia, Copus & Sanderus in Anglia, Turrianus in Belgio, Pontacus Epiſcoporum in Aquitania lumen, Genebrardus & Maſſo-nius in Gallia hoc idem argumentum per-tractarunt. Paucis quidem illud attigerunt, & præcipua, quæ ad hanc fabulam euertendam ſufficiebant fundamenta, breuiter propoſue-runt. Noluerunt, vt opinor, in re tam leui & falſa longiorem operam collocare, & tãtam, quantam ego ex diuerſo variorum auctorum campo ſummo labore collegi, rerum & ar-

6. Auctores qui hanc Ioannæ fabulam attigerunt.

gu-

Digitized by Google

gumentorum ſyluam & ſegetem congerere. Aſpernati ſunt grauiſſimi auctores tenues aduerſariorum propoſitiones, quibus cauſæ iniquæ patrocinium ſulciendum ſuſceperūt. Quis enim antiquorum eorum partes tuetur? Nullus Iudæorum: qui cùm ſint Eccleſiæ inſenſiſſimi, hanc tamē labem nunquam Chriſtianis obiecerunt. Nullus Græcorum: qui cū non ſatis cum Latina Eccleſia conueniāt, hoc tamen probro & cōuitio Pontificem Romanum nunquam inſectati ſunt. (Chalcondylā enim à quibuſdam adulteratum alienis ſcriptis ſuperiùs oſtendi) nullus veterum Anglorum, qui hoc ſomnium nō dicam literis mādare, ſed ne quidem meditatione percurrere auſi ſunt. Marianum verò Balei & Centuriatorum fraudibus corruptum fuiſſe ſatis ſuperque probaui. Et vt paucis concludam, nullus Hiſpanorum, qui ab hac opinione abhorrent: Nullus Flandrorum & Gallorum, antequam Lutherana & Caluiniana peſtis has regiones infeciſſet: nullus Germanorum ante Polonum, qui fabulam hanc longe à memoria ſua remotam, veram putauit: Nullus Italorum ante Bocacium & Antoninum, qui de ea tanquam de re dubia & incerta loquuntur. Quaſi verò antiqui hæretici, ſchiſmatici, & alij Pontificij & Catholici nominis hoſtes hāc calumniæ ſegetem, in qua triumphare & exultare poterat oratio, prætermiſiſſent? Nunquam, vt opinor, Dantes in lata illa inferorū deſcriptione, dum aliquos ſceleratos, qui Pō-

tificatum occuparant, enumerat, hoc naturæ humanæ portentum tacuiſſet. Nunquam Machiauellus, qui tanquam alter Cynicus Diogenes & alter Theon omnibus adlatrauit, huic peperciſſet.

5. *Nimis multa in hoc cõmento inaudita.*

Sed hi omnes fundamento, quo ſuam maledicendi petulantiam tuerentur deſtituti, ab hac fabula ſuperſederunt. Quis enim niſi hebes & demens vnquam credat puellam vel Anglam vel Germanam, à quibuſdam Agnetem, ab alijs Gilbertam, à pleriſque Iſabellam, à nonnullis Iuttam, à paucis Dorotheam, à multis Ioannam appellatam ſacerdote patre natam, intra cœnobij clauſtra concluſam, à monacho adamatam, Angliam, Galliam, Germaniam, Italiam, Athenas, & celebres totius orbis Academias perluſtraſſe, demum Romæ conſediſſe, ibi publicè literas profeſſam, ad Pontificatum aſcitam, à Cardinale prægnantem & grauidam factam, & in publica omnium ordinum ſupplicatione in ſupremis partus anguſtijs repentina morte corruiſſe; aut, vt Mantuanus fingit, laqueo vnà cum Equiſone ſuo ſuffocatam poſtea ſtatuam illi erectam, cathedras perforatas, ne in poſterum ſedi Apoſtolicæ imponeretur, excogitatas, & ne Pontifices ea via, in qua occubuerat, graderentur, lege ſancita decretum fuiſſe? Nimia ſunt hæc, & ſuſpicionem falſi tã affabrè coagmentata narratio affert: quò plus enim, vt vetus fert adagium, fuci & artis deprehenditur; eo plus fraudis & inſidiarum

in re

in re ſic adornata deliteſcere dicitur. Verùm non hi ſumus, qui veram hiſtoriam abijciamus,& fabulas conſectemur; qui res ſacras repudiemus, & prophanas arte & induſtria perditorum hominum fabricatas amplectamur; qui Germanos Pontificum annales contemnamus, & præpoſtera quorundam ſcripta probemus. Filij Eccleſiæ Romanæ ſumus, eius honorem ſaluum & integrum, eius famam ſartam & tectam, eius auitum ſplendorem laudum luce colluſtratum deſideramus.

Hæc vero ſunt quæ de Ioanna Pſeudopõtifice furtiuis horis collegi, & vt caliginem quorundam mentibus offuſam pellerem, in lucem edidi. Vereor autem, ne aliquorum aures Atticas & religioſas inſuaui & agreſti verborum iunctura offenderim, quæ nihil niſi inuentione rarum, tractatione elaboratum, eloquentia excultum audire conſueuerunt. Hos tamen rogatos velim, vt genus vitæ Senatorium, in quod me fortuna detruſit & compulit, ac varia, quæ cum hac ſuſcepta vitæ ratione coniuncta ſunt negotia, contemplentur. Neque enim cum amœnioribus muſis excubare, periodos, quæ aures titillent teretes ſeligere, verborũ delectum quærere, dicendi flores decerpere per otiũ permittitur. Puluis ille forenſis, quo cõſpergimur, ſtrepitus variarũ cauſarũ, quo obtũdimur, palæſtra iudiciorũ, in qua verſamur, dimicatio quotidiana, qua de dubijs & ancipitibus cõtrouerſijs

6. Totius operis concluſio & auctoris excuſatio.

digladiamur, nobis omne tempus præripit. Aliquibus etiam fortaſſis longiori rerum tractatione nauſeam,& ſatietatem attuli. Id ſi ita ſit,in dicendi materiam,quæ rerum varietate efflorefcebat,culpam & vitium transferant.Neque enim paucis tot aduerſariorum figmenta diluere,tot probra refutare, tot tela retundere poteram. Quemadmodū enim qui latronum & prædonum manus nudus & inermis euaſit, omnibus rebus ſpoliatus, à primis quos obuios habet,varios, quibus tegatur,centones accipit,&domum tandem reuerſus vix à familiaribus & domeſticis, niſi his omnibus laceris centonibus exutus agnoſcitur,ita ſanè hæc fabula olim ſola plebeia &vulgari fama iactata,nuda per omnium aures ferebatur,locupletes tandem in mentiendo & fingendo homines nacta,ab his tam vario fucorum ornatu eſt depicta, tam multiplici veſte exculta,tam pretioſo apparatu ditata, vt alterius formæ videretur. Mearum autem partium fuit fraudem detegere, veſtibus eam exuere,fucum detergere, & nudam ac inanem vniuerſo orbi imaginem proponere.Hunc autem laborem,quem in hoc opere ſcribendo,& antiquitate indaganda collocaui,iucundum mihi & ſuauem iudicabo,ſi ex eo ſalutarem, quem mihi ob oculos propoſui,fructum poſteritas percipiat. Etenim ad hanc ego metam, ad hunc ſcopum, ad hunc portum omnia mea ſtudia & conſilia retuli, vt veritas iure poſt-limij ab exilio reuocare-

tur,&

tur,& error,qui illius ſedes occuparat, procul amandaretur. Vtinam tanta lux eorum oculis,qui tenebris & caligine offuſi iacent,oboriatur,vt hoc meridiano Sole illuſtrati erroris grauiſſimi,quo tenebantur, turpitudinem,veritatis autem,quam amplectimur,pulchritudinem clarè intueantur. Ita enim perſpicuitati ſtuduimus,vt niſi oculorum aciem aliò reflectere,aut claudere velint, vel in cæcas latebras ſe abdere,aut in terram ſe abijcere,ſe falſa,nos vera ſcripſiſſe,fateri cogantur. Sed inſanam fortaſſis illam à Seneca deſcriptam Herpaſtem æmulabuntur,quæ cum vtroque lumine eſſet orbata, ſe perſpicaciſſimè videre ſibi perſuadebat,vitiumque non in oculos,ſed in domum obſcuriorem conijciebat; & comitem, à qua ducebatur, & regebatur, vt pedem è domo efferre & in Solem venire permitteret,importuno clamore interpellabat.Equidem tantum lucis, quantum potui, rei obſcuræ attuli:ita clarè huius fabulæ originem,incrementa, & progreſſus ſigillatim perluſtraui, vt nemo niſi perturbato grauiorum motuum æſtu abreptus, & in ſua veteri ſententia obfirmatus, audeat veritati reluctari.

LAVS DEO.

R. P. NICOLAI
SERARII
SOCIET. IESV
TRACTATVS DE EADEM IOANNA MOGVNTIACA.

EX ANNALIBVS MOGVNtiacis deſumptus.

Digitized by Google

FVERITNE VLLA

vnquam Moguntiæ fœmina, quæ ad Pontificatum Romæ obrepſerit maximum?

NOn eſt hoc loco vel decus, vel dedecus illud prætermittendum, quod in Moguntiam, vnde Papiſſa olim exorta ſit; conferunt, nonnulli, præſertim verò Nouatores, vt Magdeburgici Centuriatores Cent. 9. cap. 20. Io. Carion lib. 3. Franciſcus Iunius controuerſiæ 3. lib. c. vlt. Anonymus, qui anno 1588. fabulæ huius patrociniū ſuſcepit, valdeq́; apud hæreticos celebratur; &, omnium veluti nomine ac enthuſiaſmo, Michael Stifelius libro de numeris Danielis, & Apocalypſis, dum ſic vaticinatur.

Mulier Agnes, fit Papa Iohannes.
Meretrix illa Agnes ac Iohannes.
Iohannes octauus regnat.
Ecce regnat MVLIER MOGVNTINA,
Illa Papatum orbis deſignat.
En meretrix peßima Romana.
Meretrix illa maxima mundi.
Meretrix Regum reuelanda.

Sed vllam vnquam eiuſmodi mulierem aut Moguntiæ, aut Romæ fuiſſe, prorſus ne-

Digitized by Google

nego: meramque aio eſſe ac rancidam fabulam, prout perſpicuè demonſtrabunt pluſquam quinquaginta, quæ, ad mendacium hoc penitus elidendum, hic ſubtexo. Nam,

I. Cum tot fuerint hactenus hiſtorici, Annalium ſcriptores, & Chronographi, poteſtne è toto vetuſtiorum numero vel vnus tantùm citari, qui Moguntiæ talem aliquando fœminam fuiſſe affirmet? Poteſtne vnus aliquis vel editus, vel manuſcriptus, qui priſcæ illius canitiei aliquid referat, proferri, qui apertè ac ſimpliciter idipſum aſtruat? Mirum eſt, rem tantam ſine teſte, ſine auctore vllo priſco & bono tam audacter ac impudenter à Nouatoribus aſſeri, à ſimplicioribus quibuſdam tam facilè ac pronè credi? Ecce Marianus Scotus, cuius aliquando iſti auctoritatem, ſed falsò ac malitiosè, vt infra dicetur, citant; Moguntiæ annos complures, prout ſuperiore capite vidimus; egit: & tamen, nulla vel minima ſyllaba, è Moguntia talem vnquã prodijſſe mulieré ſignificat. Lãbertus Schafnaburgenſis ſeu Aſchaffenburgenſis fuit, vt alibi refero, & tamé Moguntiæ iſtiuſmodi nihil tribuit. In Martino polono prout quidé Baſileæ anno Domini 1559. apud Oporiũ, vel eius mercenariũ Iacobũ Parcũ, editus eſt, *non Moguntina*, ſed *Margantina* fœmina ſcribitur.

II. Si Moguntina eſſet, quæ ad tantam dignitatem perueniſſet fœmina, quæ tantæ vrbis antiſtita, quæ orbis totius Archiflaminica, quæ S. PETRI ſubſequa, CHRISTI Domi-

mini vicaria fuiſſet; non deeſſet aliqua Moguntiæ domus aut familia, quæ hoc ſe ornamento iactaret,aut iactare cuperet,atq;conaretur. Videmus .n. domos paſſim ac familias, quæ illos agnoſcunt libēter, à quibus inſigne ad famā & memoriam aliquid, licet malum, improbum,ac flagitioſum ſit;patratum eſt:& quidem tanto magis, quanto illud ingenioſius,rarius, mirabilius, hominum pleriſq́ue gratius ac iucundius,multorum ſermone,approbatione, prædicatione, ac applauſu celebratius. Quid verò ingenioſius,quam fœminam eò peruenire,quo vel virorum pauciſſimi aſpirare audent? altiſſimam illam honoris ſędem aſcendere, quam vix intueri virorum poteſt longè maxima pars? fœminam tot annos,tanta in vrbe,in tot omnis generis hominum oculis,in ipſo totius orbis theatro ſic fęminam tegere,vt fęmina nulli appareret, potuiſſe?fœminam,cum tantam,in illa dignitate,aulicorum,qui à conſilijs,à chartis, à cubiculis,à rebus alijs tam multis eſſent, multitudinem haberet,cauiſſe tamen, ne in ſe fœmineum quid videret, vel de ſe loqueretur vllus? Quid rarius & inuſitatius? quid mirabilius,ſtupendumq́ue magis?Gratiſſima verò iſta,qua Romanæ ciuitati,Clero,ſediq; Pontificiæ perinſigniter impoſitum fuiſſet; Mogūtinæ mulierculæ ſimulatio,fraus, & dolus nō noſtris tantum Nouatoribus, qui Catholicæ religionis veris iuxta ac fictis offenſionibus & incommodis mirificè paſcuntur ac exultant;

tant; nunc eſt, ſed ijs etiam iam pridem fuiſſet, qui ab Eccleſia Romana quo quomodo diſſederunt, vti ſanè diſſederunt quãplurimi, Græci præſertim, Schiſmatici, & in Italia, Gallia, Germania rixoſi, ambitioſi, libidinoſi, & flagitioſi, etiam ſumma dignitate, ſplendore ac potentia homines, de quibus poſtea. Omnis Nouatorum noſtrorum ſermo, calamus, plauſus & cachinnus hoc in argumento verſatur libentiſſimè. Profani fanorum ipſorum ambones, Gymnaſiorum pulpita, confabulationum circuli, compotationum menſæ omnes mulierculam iſtam reſonant, iactitãt, cantillant: plurimi de ea in Bibliopolijs libelli, plurimæ apud minutiſſimos etiam inſtitores ſchedæ, plurimæ in œnopolijs ac Nundinis imagines. Quomodo nulla igitur Moguntiæ familia ſiue illuſtrior, ſiue obſcurior: nulla cognatio, nullum opificum collegium, nullum hominum genus, nullus omnino aut ciuis, aut inquilinus, laicus aut Clericus, qui vel nunc dicat, vel olim dixerit, ſe aut ſuos aliquá vel ſanguinis propinquitate, vel coniugiorum affinitate, vel amicitia, familiaritate, vſuve quolibet fœminam hanc, aut fœminæ huius parentes ac maiores attingere? Nota eſt enim hominum, in vanis etiam improbiſque quorundam factis, gloriatio: nota gloriolæ, quantumuis falſæ ac inanis, in obſcuriſſimis etiam & ſtupidiſſimis hominibus cupiditas, & iactantia.

III.

III. Quin verò, neſcio an hactenus hunc à ſe partum aſpernata fuiſſet Moguntia. Nam ingenio mulier illa ſummo, doctrina eximia, ſingulari docendi, & agendi dexteritate viris præſtitiſſe omnibus traditur: *In diuerſis*, ait Martinus Polonus, *ſcientijs ita profecit, vt nullus ſibi par inueniretur: adeò vt poſt, Romæ, triuium legens, magnos magiſtros, diſcipulos & auditores haberet.* An Moguntiæ parua iſta laus foret? An eorum, quos ſuperiori capite recenſui, doctiſſimorum virorum vllus tantis ingenij, ſcientiarumq; variarum opibus abundaſſe; ſicque alijs omnibus antecelluiſſe ab vllo refertur? *Sic in diuina*, inquit Faſciculus têporum, quem iſta in narratione magni facit Iunius; *ſcriptura profecerat, vt par ei non inueniretur.* Pergit verò Polonus ille: *Et cum in vrbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur.* Hoc tam ſublime honorum faſtigium, tam illuſtris in mundo iſto apex & quo ad hunc aſcendiſſe à Polono iſto illa ſcribitur, modus ac via, nonne natalem illius vrbem decorent? Vt pro ſua in patriam pietate, inſigni Germaniam totam laude afficeret, Iacobus VVimphelingus, omnes Romanos Pontifices qui ex illa ortum duxiſſent, ſtudioſè collegit, & ad Trithemij *de illuſtribus* eiuſdem *Germaniæ viris* libellum adiunxit. At de Moguntina fœmina verbum nullum. Typographiam à Batauia Moguntinis eripi nô patimur eidem Adrianum Pontificem

edenti

edenti an non fœminam ſaltem ſuam obijciat Moguntia?

IV. Quod ſi dedecus aliquod eſt, hic natam illam eſſe, quomodo in tot, tamque varijs contentionibus & bellis, hoc in Moguntiā conuicium coniecit adusque nemo? Et in ipſa Moguntina vrbe quomodo prolē iſtam nulla familiæ familia, nulla domui domus, nullus aut ciui aut aduena opprobrauit?

V. Belliſſimum verò in fabula iſta, quod idem ait Polonus, & ex eo Magdeburgenſes, & alij, *Anglicam* nihilominus eandem fuiſſe. Ehodum, diceret ille Plautinus, nunquid in Anglia eſt Moguntia, vel Anglia in Moguntia? Qui Moguntinus eſt, olim quidem Gallus erat, nunc Germanus eſt. An verò Anglus & Britannus vnquam? Non magis profectò, quam Perſa vel Indus ac Aegyptius. Agnoſcit argumenti huius vim Iunius & Magdeburgicos, alioſque omnes, qui patrium fœminæ huius nomen ex Anglia deuexerunt, *deceptos* pronunciat. ne ſibi tamen ac ſuis tam iucundia, tamque adamata fabula elabatur, nouum ei ſtabilimentum ſubſtruit. vt *Moguntina* verè mulier fuerit, ſed cognomine *Anglicus*. Verum de huius nomine atque cognomine poſtea. Hic tantùm moneo, non iam quæri, an fabulam nouam, nouis cum nominibus & circumſtantijs, fingere poſſit Iunius: (Nam prout ingenio ad fraudes excuſſiſſimo eſt, poteſt ſanè) ſed an quæ hactenus à quibuſdam narrata eſt narratio, vera hiſtoria ſit, an mendax

dax potius fabula? Iſtud nos Catholici argumentis ac ſignis arguimus, palamque facimus planiſſimè, cum vnus idemque homo ſimul Moguntinus & Anglus eſſe non queat. Quod verò è Caluiniana nunc officina prodit Iunius, & narratores illos erraſſe ait, & quòd à nemine ſcriptum dictumve hactenus eſt, cognomentum comminiſcitur *Anglicum*, id verò eſt cum Tyndaro dicere, *Occiſa eſt hæc res, niſi reperio atrocem aliquam mihi aſtutiam.* Reperit verò Iunius & quidem inſigni cum mēdacio. *Anglicus enim*, ait, *dictus eſt cognomine, ſed natione Moguntinus, vt diſertè ſcribit auctor faſciculi temporum.* At de *cognomine*, quod probandum iam erat, nemy quidem in illo, quo lectorem faſcinat faſciculo temporum. Hæc enim eius verba. *Iohannes Anglicus natione Moguntinus.* & Polonum faſciculus iſte imitabatur cum quadam tamen vel correctione vel explicatione. quia ſcripſerat ille: *Ioannes Anglus natione Marguntinus.* Capt. act. 3

VI. Sed præterquam quod fieri ſimpliciter non poſſit, vt idem & Anglus & Moguntinus ſit, notanda etiam & examinanda eſt fabulatorum inter ſe iſtorum diſcrepantia. Quidam enim *Anglam* aiunt, ſed è *Moguntia oriundam*, vt Platina, & Polonus ſuo cum faſciculo. Quidam verò *Moguntinam*, ſed *ex Anglia oriundam*, vt Magdeburgici. Quidam *neque in Anglia natam neque inde oriundam*, ſed *illic educatam*, vt Bibliander. Quidam demum *neq; ibi natam neque inde oriundam, neque illic educatam,*

Digitized by Google

tam,vt Iunius,cui autem credendum? Nulli opinor, cum à verò abeant omnes ſed ſi cui credendum; eſſet omnium maximè credendum,in re antiqua horum antiquiſſimis. ſicq; omnium excluſiſſimus,omnium maximè iuuenis Iunius. ſed & illi antiquiſſimi, quomodo Anglam, è Moguntia oriundam volunt? An in Angliam migrarant eius parentes, aut maiores,ibique iſtam genuerunt? An contrà, ex Anglia Moguntiam venerunt,eamque hic pepererunt? Nunquid verò illi exules, aut legati,aut mercatores,aut milites, aut denique pauperes ac mendici? Hæc enim ferè hominum genera è regione in regionem proficiſcuntur, alijſque in terris liberos ſuſcipiunt. An verò fuit mater Moguntina,pater Anglicus,aut mater Anglica, Moguntinus pater? Eſſet horum igitur aliquid probandum,ſi haberet fabula hæc fidei plus quàm tippula põderis.& par eſſet eos, qui tam accuratè videri volunt duplicem huius nationem ſcijſſe, iſta etiam non neſcire ac non reticere. Patriam igitur mulieris huius nullam ſcimus: nullos item inuenimus parentes. Nam nihil Magdeburgicis abſurdius,qui ſine teſte,ſine auctore huc miſeri decurrerunt,vt *ſacerdotis filiam* diceret.Licetne in vetere igitur hiſtoria, quidquid collibitum,licenter aſſerere?Multo terræ filiam veriùs dixiſſent.

VII. Nomen eius puellare, nullum ſimiliter.Nam à Stifelio prout initio audiuimus,& Sebaſtiano Franck *Agnes* vocabatur, ab alijs

Iſa-

Digitized by Google

Iſabella, Ioanna, Margareta, Dorothea, Gibberta, Iutta, & quid non? *Cognomen* verò *Anglicum* ei fuiſſe, & primus & ſolus dicere nuper cœpit Iunius. Mira hominis frons, in re cuius veritas quæritur, vbi nihil comminiſcendũ, vbi teſtimonijs priſcis agẽdum, vbi obſignatis pænè auctoritatibus agendum; ipſe nouũ, & nulli dictum, nulli auditum affirmare non erubeſcit cognominandi modum. Sed vel vult id priſcis illis temporibus *fictum* cognomen fuiſſe, vel *verum*. Si *fictum*, vel id ipſa ſibi, vt ſexum, genus, patriam diſſimularet, finxerat, vel alij, quia verum eius cognomen ignorabant, hoc illi impoſueunt. Vtrum aſſerit Iunius? Neutrum: ſed *verum* fuiſſe. Quo auctore? Nullo. Coniecturam tamen, cui in obſcuris locum haud negarim; affert. *Eodem*, ait, *cognomine frequens adhuc familia ſupereſt (Germanis* Enghel*) in ditione Palatina ad Moguntiacum: & mihi quoque plures cognomines in eo tractu fuerunt noti.* At mihi in Treuerica & Sueuica plures, quibus hoc ipſum vel nomen vel cognomen, noti. Treuericam igitur & Sueuicam pari modo fœminam iſtam dixerimus, imò Saxonicam, & Brunſvvicenſem. Nam ſuprà de *Engelo* Saxone, & Brunſvvicenſi memoratum ſemel & iterum. Sed tam illi quàm in Palatina ditione *Angeli*, non autem *Anglici*, Latinè appellantur, prout in Italia etiam *Angelus* Politianus, *Angelus* Perufinus, *Angelus* de Clauaſio, alij. *Anglicus* verò idem, qui *Anglus*, vt apud Iunii fa-

ſciculum *Adrianus Anglicus*,apud Trithemium lib.de ſcriptoribus Eccleſiaſticis,*Anglicus Nicolaus de Lyra*,*Anglicus Osbertus*, *Anglicus Ioannes Eſtvvidi*,*Anglicus Ioannes de Bachone*, *Rupertus Holkot*,& qui *primus Heydelbergenſis*, quod hæreſi ſua inquinauit non parum Iunius,*gymnaſij plantator* ab eodem dicitur, *Marſilius de Ingen*.Et ante Trithemium ac Faſciculum,iam olim Rixfridus Epiſcopus Traiectenſis in epiſtola ad S.Ludgerum; *Harmacarus*,inquit, *natione Anglicus*,& *Albricus ſiue Albertus natione Anglicus*.Quod ſi verò ſuus cuilibet arbitratus ſit,vt in vetere hiſtoria non quid veri fuerit, ſed quid fingi iam poſſit; fingat & proloquatur, Anglicam iſtam dixerit quiſpiam. quia non Mognntinam ac Germanam, ſed *Anglam ſe* haberi malebat:alius, quia vultu & *forma* erat *Angelica*: alius, quia lingua, & ſcientia ei Angelica: alius, quia *arcem* quam, Carione teſte,Leo quartus ædificarat, *Anglicam* tenuit; alius,quia *piſcatrix*. Nam ſuperiori capite à piſcatu nobis erat *Engelerus*,& ab eodem fortè olim *Ingelheim*,*Engelberga*,*Engeltrudis*, licet ab *Angul* omnia hæc arceſſere malit Suffridus li. 2.de origine Friſiorum cap. 11. Verum hiſtoria rerum geſtarum narratio eſt nō fictarum, aut earum,quæ geri tantum potuerunt,geſtæ autem nunquam ſunt.

VIII. Educatio tota illiterata, primique adoleſcentiæ anni vel analphabeti penitus, vel non plus certè aſſueti doctrinæ,quàm aut nunc ſolet,aut olim ſolebat prima puellarum

ætas:

ætas:quæ ſi quando inſtitutæ ſunt liberalius, legere aliquid,litteraſque facere aliquas norunt. Aliæ ſiquidem puellarum occupationes.& hanc in patria ſua manſiſſe aiunt fabulatores,donec eius caperetur amore amaſius neſcio quis, eamq; ſecum abduceret. Iſta verò libido, audaciuſque flagitium non niſi in grandiuſculam iam, ſalacem, minimumque puberem cadit ætatem. Vnde tanta igitur & tam eximia,de qua dixi ante, huic ſcientia, cum ex ijs,qui vel à primis ſtatim, vt ita dicam,cunis incipiunt,vix ad illam,ſummo ingenio laboreque pertinaciſſimo pertingant, pauciſſimi?Cum exiſtimarent aliqui eos litteris non inſtituendos, qui minores ſeptem annis eſſent,*Melius*,ait lib.1.c.1. Quintilianus, *qui nullum tempus vacare cura voluerũt, vt Chryſippus.Nam is, quamuis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam informandam quàm optimis inſtitutis mentem infantium iudicat*.Nam, vt querebatur olim Hippocrates, *ars longa, vita breuis*. Magdeburgẽſes quidem eam in Fuldenſi monaſterio,inter viros,virili habitu manſiſſe,libroſq; de Magia ſcripſiſſe aiunt,ſed aiunt.quia ita ipſis placet:teſte nullo, quòd aiunt,probant. vbi ergo ſcientiam tantam,& monaſticam inter Monachos diſciplinam didicerat?Inter eos caſtè viuebat, an non?ſi *caſtè*,cum ætatis eſſet florentioris,quomodo grauidari anus poſtea voluit?ſi *nõ caſtè*. quomodo fœmina non agnita?quomodo neç Romæ pòſt recognita?præſertim cum ijſdem

annis vel Fuldæ, vel Moguntiæ ſapientiſſimus fuerit Rabanus? Verum ſatis horum in fingendo patet audacia,cum alijs, qui fabulã iſtam fabricati ſunt,repugnent omnibus,tam Lutheranis,quam Caluinianis, ne Catholicis dicam.

IX. Sed quisnam iſte & qualis, qui è patria, è parentum gremio,æqualium conſortio,verecundiæ ſtudio,caſtimoniæ curriculo puellam hanc abduxit procus? Moguntinus an VVormacienſis? Germanus an Anglus? Nobilis an ignobilis? Opifex an Studioſus? *Studioſum* ſignificant fabulatores fuiſſe. quaſi ſuperioribus illis ſæculis,Academia Moguntiæ iam fuiſſet.Ideoque cum de amaſio iſto ſciſcitatus diligenter quidlibet à quolibet fueris, eum tandem inuenies fuiſſe Homericum *Outina*, Latinum *Neminem*.

X. Quò eandem verò abduxit? quam in prouinciam?quam in vrbem?Submurmurant aliqui *Angliam*, Tragœdus quidam Schernbergus,*Pariſios*.Sed clarè ac rotundè Polonus *in Græciam* & quidem *Athenas* perductam illã narrat.Quis verò credat è Germania in Græciam,Moguntiaco Athenas,ſtudiorum cauſa, quempiam profectum? Aiebat Propertianus ille ad Cinthiam:

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas,
Vt me longa graui ſoluat amore via.

E contrario autem fabulantur hi noſtri, profectum Athenas perductorem, amaſiumque illũ,vt ſuis maximè indulgeret amoribus

& qui-

& quidem, cum multo ſit è Germania, quàm ex Italia in Græciam, à Rheno, quam à Tybe ri ad Caballinum fontem via longior. Et ille porro dicebat:

Illic vel ſtudijs animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.
Perſequar aut ſtudiũ linguæ, Demoſthenis arma
Librorumq́; tuos, docte Menandre, ſales.
Aut ſpacia annorum, aut longa interualla pro-
Lenibunt tacito vulnera noſtra ſinu. (fundi,

Iſte verò qui tam efflictim Moguntinam deperire fingitur; Athenis inſaniæ ſuæ vulnera nõ leniri, ſed exaugeri, & produci exoptat. quemadmodum locupletem, optimeque nũmatum eſſe oportuiſſet, vt ſe, ſcortumq́ue ſuum, tam longè, non vltra ipſas tantùm Alpes, ſed Adriaticum etiam pelagus transferret, tantoq́ue itinere, & in ipſo eius termino; Athenis aleret, ac, vt voluptatem expleret ſuam; genialiter tractaret. Magna etiam Athenienſis Academiæ fama eſſe debuiſſet, quæ ab Occidente tam procul adoleſcentes exciret, ac ad ſe tantis locorum interuallis, tot periculis, tanto ſumptu pertraheret. At verò quibus annis phantaſtica iſta profectio inſtituta dicitur, iacebant Athenis ſtudia, exceſſerant Muſæ; ſqualebant gymnaſia: euanuerat omne litterarum decus, omnis docentium diſcentiumque celebritas. Etſi enim cũ natu minores eſſent Sancti Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, ſtudiorum adhuc ibi flos ac vigor aliquis, ea tamen conſecuta

tempora ſunt, vt ſua iam ætate oſtenderet in vltima ad fratrem epiſtola, Syneſius, Athenis, *præter ſolum* Academiæ *nomen*, nihil fuiſſe. At hoc falſum, inquit Iunius. *Nam temporibus Baſilij, Nazianzeni, & Chryſoſtomi litteræ illic floruerunt*. Sed deſloruererant poſtea, vti oculatus teſtatur teſtis Syneſius. Num Iunio, tot poſt annos, qui Athenas vidit nunquam, fides potius, quàm tanto illi viro adhibenda? Sed Syneſius *de Oratoria loquitur ſolùm*. Mira hæretici proteruia. Syneſium aut legit, aut non legit. Si legit: magna impudentia eſt, dum aſſerere ipſum negat, quod ille aſſerit. Si non legit, audacia magna eſt, dum ipſum contra ſuam ipſius mẽtem & diſerta verba explicat. En hæc ipſa! *Malus malè pereat Nauclerus, qui me huc* (Athenas) *vexit. Nam nunc temporis nihil habent Athenæ ſuſpiciendum, præter glorioſa locorum nomina. Et ſicuti dum mactata eſt victima, pellis relinquitur, quæ illius, quod fuit, animalis indicium eſt, ita expulſa hinc philoſophia* (non oratoriâ ſolùm) *relinquitur, vt obambulans quiſpiã miretur ipſam Academiam, Lyceum, &, per Iouem, variam porticum, cognominem Chryſippi Philoſophiæ, quæ nunc varia non eſt. Aſſeres enim ſeu tabulas, quibus artem indiderat Thaſius Polygnotus, abſtulit Proconſul.* Et paulò poſt: *Athenæ olim quidem ciuitas erat ſapientum ſedes: nunc autem ipſam celebrant mellarij.* Hic igitur *& eorum, qui opibus eminere volunt, conſociatio eſt, qui non ſermonum*, aut vt è Nouatoribus vertit Interpres, *non ſtudiorum fama congregant in theatris*

iu-

Digitized by Google

iuuenes, ſed ipſis ex Hymetto vrnis. Satin planè, ſatin diſertè de toto ſtudiorum genere, de ipſaque Philoſophia, cuius in Academia, Lyceo, & Stoa ſeu porticu ferbuerāt olim ſcholæ; locutus Syneſius? At *hyperbolicè* loquitur. Modo aliquid Iunius dicat, ei quid & quam verè dicat, penſi nihil eſt. *Hyperbolicè* illum loqui quomodo probat? Quanquam *non omne quod hyperbolicè dicitur, id aut mendax, aut falſum eſt*, prout ex ſcripturis, in quibus hyperbolarum etiam vſus; docet S. Auguſtinus epiſt. 59. quæſt. 3. & in Geneſeos quæſtionibus. Iam verò poſt Syneſij æuum, refloruiſſe Athenis eadem diſciplinarum gymnaſia nuſquam legimus, quin potius ſub ipſa, in quæ fœmineum iſtud nugamentum confertur, tempora, in præcipuis etiam alijs Græciæ vrbibus, collapſa pænè funditus interijſſe, vſque ad Io. Bardæ imperiū, qui vna iſta laude clarus, quòd liberales ad vitam artes Conſtantinopoli reuocarit. *Hæ ſiquidem à multis iam annis prorſus obſoleuerant & euanuerant*, inquit Gregorius Cedrenus. *Philoſophia*, inquit Zonaras, *neglecta iacebat ac propè omninò extincta erat, vt ne ſcintilla quidem eius ſupereſſet. Externa quoque ſapientia*, inquit Curopalates, *iampridem effluxerat, & ad nihil prorſus reciderat*. In his quod inficiari poſſit Iunius, nihil eſt, licet ex Bellarmini, dum eadem ab eo proponuntur, verbulis muſcas, quæ ad rem prorſus nihil ſunt, captare ſatagat, & tandem. *Quid*, ait, *quod iam antea pater Michaelis Theophilus Leo-*

nem Philoſophum euexerat ex occaſione, quæ à Zonara perſcribitur, & publicè docere iuſſerat? Sed ex eo ipſo Leone confirmatiora fiunt, quæ de Muſarum ab Athenis & Conſtantinopoli exilio dixi antea. Nam primo Leo iſte doctiſſimus quidem erat Conſtantinopoli Mathematicus, priuatimque aliquos docebat, ſed non publicè, ita vt non niſi obſcurus ac ignotus intra domeſticos parietes cum ſuis illis diſcipulis philoſopharetur, vt ex ea intelligitur occaſione, qua Imperatori notus eſſe, & ab eodem publicè docere, ſtatimque Theſſalonicenſis eſſe Pontifex iuſſus eſt. Deinde idem Leo, prout narrat Curopalates, Grammaticam ſe ac Poeticam Conſtantinopoli, reliquas verò doctrinas in Andro inſula, dum cum Michaele Pſello verſaretur, didiciſſe referebat. Cur Athenis omnino nihil, Conſtantinopoli non niſi pueriles, poeticasque litteras didicerat? Cur non Athenas, ſed in Andron inſulam, maiorum ſcientiarum auidiſſimus ierat? Quia videlicet, inane iam nomen erant Athenæ: Conſtantinopolis non niſi puerilium quorundam ludorum Magiſtros habebat. Cùm, illo igitur tempore, vbiuis potius, quàm Athenis litteras quærerent ipſiſmet Græci, quomodo illuc, vt eas inuenirent, noſtri proficiſcerentur, aut Moguntini, aut Germani, & Angli? Quomodo præteritis, quos Pariſijs, & alibi collocarat Carolus Magnus, doctiſſimis, optimiſq; cygnis, Athenienſes audire noctuas cuperent? præſertim cùm

cùm, tunc temporis, inter Orientis Occidentiſque Principes non conueniret optimè.

XI. Sed ſit iam Athenis Moguntina noſtra, ſit cum ea, qui impudenter ac flagitiosè illuc eam abduxit, iuuenis. quid interim? Huicne ſuo nebat illa, coquebat, lauabat, aliave opera præſtabat? An verò in amoribus tãtum & delicijs ei erat? Si agebat priora, vel nõ ſtudebat ipſa, vel minus multum. Si posteriora, & maximi fierent in ocioſorum duorum alimonia ſumptus, & neuter in ſtudijs magnos faceret progreſſus. Quos enim libidinũ agitant, intemperiæ, ijs plerumque parum ad litteras vel animi, vel curæ ac diligentiæ, quemadmodum è contrario ijs euenit, qui toto, vt aiunt, pectore, ad meliora incumbũt ſtudia, prout in Tobiæ capite 8. quæſt. 15. docui *Virgines Muſæ ſunt. Inter eas non volat Cupido*, vti has ipſas Veneri aliquando dixiſſe, refert Plato. Quomodo igitur tam docta tam diſciplinis omnibus inſtructa, tam doctis omnibus anteijſſe dicitur hæc meretricula?

XII. Accedit, quòd aut nubilis, aut nupta, diſceſſit Moguntia, vt ſuprà vidimus: & tũc primum Grammaticæ partes primas diſcere incepit, quando ſcilicet plerique alij deſinere incipiunt, quando Piſtocleri plerique ſuis audacter Lydis dicunt:

Non omnis ætas Lyde ludo conuenit,
Magis vnum in mente eſt mihi nunc, ſatis vt commodè
Pro dignitate obſonij hæc concuret coquus.

Iam

Iam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.

Quando *imberbis Iuuens tandem cuſtode remoto*

Gaudet equis, canibus, & ijs, quæ ſequuntur.

O hiſtoriam mirabilem! Coniunguntur in muliercula, quæ disiunctiſſima eſſe ſemper volunt, voluptas & acerrimum ſtudium: libido, & magnus in litteris progreſſus, ſera doctrinarum inchoatio & ſumma velociter in ijſdem perfectio.

XIII. In illa verò, quæ fingitur, Athenienſi Academia, cum inter Iuuenes, quorum non pauci laſciui ac petulantes; verſaretur, vt ſe habuit? vni illi ſuo tantum adhæſit an pluribus? Peperitnè aliquando, an nunquam? ſi vni illi ſuo tantum adhæſit an pluribus? Peperitnè aliquando, an nunquam? ſi vni illi ſuo tantum adhæſit, miranda pœneque laudanda eius erit caſtimonia, quòd cùm intemperantiæ libidiniſque cauſa, parentes, patriam, ſuaque omnia reliquiſſet, in tam remotas ſeſe regiones contuliſſet, verecundiæ temperantiæque frenos excuſſiſſet, ita ſe tamen temperanter inter tot & tam procaces, ætate, blanditijſque alijs pollentes, in ætate lubriciſſima, familiaritate illecebroſiſſima habuerit, alium neminem admiſerit. Solet enim alioqui ſemper fieri, vt, Cicerone teſte, *qui ſemel verecundia fines tranſierit, bene ac nauiter impudens euadat*. Sin ſtupri cum pluribus conſuetudinem habuit, quomodo non pluribus nota? Quomodo infamiam hanc Romæ tegere, tantam

præ

præ ſe morum grauitatem ferre potuit, vt de impudicitia præterita nullus, ne tenuiſſimus quidem eſſet rumuſculus? An è Romana vrbe, è tota Italia nulli Athenis ſtudioſi? è Germania vel Anglia ſoli iſti eo ſcortatores ierant? ſi illic peperit, quid factum liberis? quò deuenerunt? ſi peperit nunquam, vnde ille in pontificatu, in ætate iam inclinatiore partus?

XIV. Athenis quas tandem litteras didicit? Græcas, an Latinas? Ridet Cęcilium quendam Tullius, quod *Græcas Lilibæi non Athenis, Latinas non Romæ, ſed in Sicilia* didiciſſet. Quid noſtra igitur Moguntina? Latinane Athenis facta? Quod ſi Græcas ibi litteras didicit, quomodo Latinarum ignara, Romam cum veniſſet, litterarium ludum habere, Latinoſq; homines Latinè Germana mulier docuit? Græca cum Latinis forſan, vt Ciceronem filium volebat pater; coniunxit, vt in orationis *1. Off.* vtriuſq; pareſſet facultate: at vnde Athenis illo ſæculo vtriuſq; orationis Magiſtri & conformatores? Quotuſquiſq; in vtraque vt excelleret, elaborabat?

XV. Quot autem annos ibidem exegerit, tradit nemo. Bene tamen multos fuiſſe, veri eſt omnino ſimile. Neque enim, vt in omni ſcientiarum genere tam excellens eſſet, breui tempore, paucisque annis conſequi potuit, cum non pauci, quibus à pueritia, vt in doctorum veniat numerum, elaboratur, vix mediocritatem aſſequātur aliquam. Primas verò

vt

vt teneret iſta, & Romæ quidem, vbi doctorum maior eſſe concurſus aſſolet, plurimis annis opus nonne habuit? Iungantur verò ſi placet, iſti anni, cum illis, quos, è patria pedem cum efferret, nata erat, quanta, illius, poſtea cum artes diſciplinaſq; bonas omnes perdidiciſſet, quamque prouecta ætas? Et tamen ipſa parere poſtmodum, vel it nolit Lucina; debebit.

XVI. Amaſio interim, qui ita eam arſerat, à parentibus abſtraxerat, è patria in remotiſſimas terras abduxerat, quid factum? Manſit cum ea ſemper Athenis, an in patriam redijt, eamque ibi reliquit? Vixitne is, cum illa ſeſe Romam appulit, an non? Mirum, de illo cómenti extare nihil.

Legit Onuphrius, per biennium.

XVII. Romam tandem venit Moguntina Hypatia Sappho Germanica, magna & admiranda philoſopha. Sextum tegit muliebrem. Virum agit, eumque ſapientem & grauem: *Triuium*, ait Polonus *legens*, *magnos Magiſtros* diſcipulos & auditores habet. Quid *Triuium*? Num triuialem diſciplinam Grammaticam? At quomodo *magnos Magiſtros* diſcipulos & auditores haberet? Neque enim *Magiſtri magni*, quibus Grammatice adhuc diſcenda. *Triuium* profectò eſt philoſophia, cuius quaſi vię ac genera tria ſunt, Ethice, Logice, ac Phyſice vel vt lib. 1. in Porphirium à ſe traductũ Boetius, *Philoſophia ſpeculatiua, actiua, & rationalis.* ſiue vt idem dialogo 1. in eundem Porphyriũ à Victorino traductum, *Philoſophia theoretica,*

Ternus ſapor inf. ca. 40.

de

de intellectibus, intelligibilibus, & naturalibus. Practica, quæ ſui, rei familiaris, reiq; publicæ curā gerit, & Logica, quæ circa diuiſionem, definitionem, & argumentationē occupatur. Hanc tantam tā variarum magnarumq; artium varietatem, tā plenè cumulateque comprehendiſſe, tantoſque Romæ viros tam egregiè docere, qui potuiſſet proſtibulum, niſi plurimos Athenis annos commoratum fuiſſet? niſi acerrimo cō tentiſſimoq; labore in ſtudia incubuiſſet? At vetulo iam pæneq; rugoſo, & exſucco, fortaſſis etiam pallido corpore fuiſſet, in quo & de ferbuiſſet ſanguis: & libidinis ardor, ſi nō omninò extinctus, admodum tamen imminutus eſſet, vt, cum caſtitate in ipſo Pontificatu opus eſſet maxima, eam facilè perſonā ſimularet, neq; ſe rursū vlli proſtituere neceſſe haberet.

XVIII. Cùm verò, per ętatem & annos, barbatus tantorum Magiſtrorum Magiſter eſſe deberet, imberbem verò viderēt omnes, exilem fœmineamq; vocem audirent, Eunuchū, opinor, vel alia quapiam ratione ac morbo debilitatum vulgò credebant. Quomodo igitur Pontificem, tanta exſectionis ſuſpicione laborantem, ſine cura & examine, contra grauiſſimos & clariſſimos Eccleſiæ canones creaſſent Romani? Quomodo Nicęnum adeò Concilium neglexiſſent?

XIX. Quid, quòd aduena & peregrinus erat? quòd ſe virum tantummodo litteratum & eruditum, non verò ſacerdotē profitebatur? Et talem, tot tantiſq; alijs, Romæ notiſſimis & ſpe-

& ſpectatiſſimis,penitus contemptis, ita inconſideratè,inexploratè,leuiter ac temerè vt ſummum Eccleſiæ Chriſtianæ caput foret, ad celſiſſimum humanæ dignitatis faſtigium ſuſtuliſſent omnes Romanorum ordines? Nemo ſanè cui cor; credit. Magnificè tamen ita Polonus: *Quum in vrbe, vita & ſcientia magna opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur.* O *concorditer!* O *eligitur!*

XX. Iam tamen imperitorum, maliq́ue nihil ſuſpicantium temerarijs manibus in Pontificia S. Petri ſede collocata ſit Moguntina, quæ fingitur mulier. Nunquid ipſa ideo Pontifex? Hęreſis eſt in Pepuzianis, & Artotyritis, apud S. Epiphanium hæreſi 49. iam pridem damnata, *poſſe fœminam vllam eſſe ſacerdotem*, multò minus Pontificem. Ideo fruſtra ſunt Nouatores, dum vel id aſſerunt, vel, ſi Pontifex illa non fuit, ſublatam Pontificum Romanorum ſeriem, perpetuamq́ue ſucceſſionem clamitant. Neutrum ô inſani! Pontificatu & ſacerdotio initiari non potuiſſet, quia fœmina. Non ſublata fuiſſet Pontificum ſucceſſio. quia tantummodo dilata, quouſque nimirum verus electus fuiſſet Pontifex. Quēadmodum enim dum hebdomadibus & menſibus aliquot vacat inſidente ſedes, non ideo ſublata ſucceſſio dicitur, ita nec ſi annū vel annos etiam pluſculos vacua eſſet: dummodo tandem via & ordine in eam tolleretur aliquis.

XXI. At, etiamſi Pontifex non fuit, ponti-

ficalem

ficalem laruam tamen induit, pontificalia quædam acta edidit. Nulla omnino proferũtur vel à Polono, vel ab alijs:non Epiſcopi alicuius conſecratio, non decretum aliquod, non ad vllum epiſtola,& tamen cum eo tempore ſumma doctrinæ,ſanctitatis ac nominis claritudine Preſul Moguntinam ſedem regeret Rabanus,fieri vix potuiſſet,quin ad eum, ſi alia nulla res,inſitus certè patriæ amor ſcribendum inuitaſſet.

Neſcio, ait quidam, *qua natale ſolum dulcedine cunctos.*
Allicit, immemores nec ſinit eſſe ſui.

Soli Magdeburgici Ludouicum Lotharij Cæſaris filium ab laruata fœmina coronatum ſcripſerunt. Voluerunt enim mendaciorum Centuriatores non in Pontificiam modò ſedem, verùm & in regiam, Ceſareamque Maieſtatem eſſe contumelioſi. ſed effrons eorum mendacium tenetur ex eo clariſſimè, quod antequam fœminæ huic ad ſacerdotij ſummi locum patuiſſe aditus dicitur, coronatus iam erat Ludouicus. Hoc enim & imperialia Lotharij diplomata, & boni auctores Oſtienſis Leo, Viennenſiſque Ado teſtantur. *Ludouico,* ait iſte, *Sergius iam tunc Pontifex coronam impoſuit, acclamante vniuerſo populo, Imperator & Auguſtus eſt ſalutatus.* Martinus Polonus. *Ludouicus ſecundus à Sergio Papa in Regem coronatus.* En quomodo, ſi quam aut rem aut circumſtantiam perſonatæ antiſtitæ narrent iſti, mendacij ſtatim arguantur: porroque arguendi

Digitized by Google

magis ſint, ſi de coniecturis, quas propoſui, ſtatuere velint aliquid.

XXII. Vt nihil omnino geſſerit ſuo in Pontificio Commentitius iſte Pontifex, *nomine* tamen fuit aliquo. Id igitur quod? Omnium vox hic vna. *Ioannes eſt nomen eius.* Sed ſi *quotum* quæras, diſſonæ iam voces. Alijs eſt Ioannes *ſeptimus*, alijs *octauus*, alijs *nonus*. At legitimi fuere Pōtifices, qui & nomen iſtud & numeros iſtos geſſerunt, prout è probis ac vetuſtis Pontificum nomenclaturis, & ex ijs, quæ ſubduntur, argumentis perſpicuum.

XXIII. Cum verò neq; S. Petri, neque hoc noſtro Clementis VIII. tempore monſtrum hoc extiterit, meritò quæritur cuinam per nefas Pontifici ſucceſſerit? Confudit & hoc loco Babylonicæ turris linguas Dominus. Aiunt eam nonnulli *S. Martino* Pontifici ſucceſſiſſe: quidam autem *Stephano quinto*, alij *Leoni quinto*, Polonus, Faſciculus, & Nouatores pænè omnes *Leoni quarto*. Sed benè habet, quod omnes prorſus vel eorum temporum, vel ijs certè proximi ſcriptores, Papas, qui hiſce ſucceſſerint, alios nominant. Nam vt de cæteris, qui minus audacter, & vix à paucis iactantur, ſileam; Anaſtaſius, qui ſuis oculis tā Leonem IV. quàm eius ſucceſſorem cōſpexit, hæc in verba ſcribit: *Sanctiſſimus Leo Papa IV. obdormiuit in Domino XVI. Calend. Auguſti, ſepultus ad S. Petrum, & ceſſauit Epiſcopatus dies XV. Quo mortuo, MOX omnis Clerus Romanæ ſedis, vniuerſi Proceres, cunctusquę populus ac ſenatus con-*

gregati ſunt, Domini clementiam exorantes, beatificum illis in omnibus demonſtrare digna-ur Paſtorem, qui Apoſtolatus culmen regere vo-ſet tranquillè. Qui diuinitus ætheroq; lumine ammati, vno conſenſu, vno conamine Benedi-m, pro tantis, quibus pollebat, ſacris opibus, Pon-cem promulgarunt Et Ado Viennenſis; *Pon-x Romanus Gregorius moritur, atque eius loco gius ordinatur. Illo defuncto, ſuccedit Leo. Quo unte, Benedictus in ſede Apoſtolica conſtitui-*

XIV. Cæterum, ſi Moguntina noſtra Pontifex, tempus aliquod deſignetur o-tet, quo fuerit. Fabricentur, & cōcatenent quotlibet mendacia Nouatores, tempus tò deſignare nullum poſſunt. Sunt qui fuiſ icant anno 653. alij 686. alij 848. alij 853. 854. alij 855. alij 857. alij 858. alij 904. vt annis tantùm, ſed totis etiam diſſentiant alis. At annos iſtos omnes & ſingulos ob-ent veri S. Petri ſucceſſores, prout eos eo-a temporum compares, vel ſuppares re-ſent chronologi, qui partim ſuprà citati, tim verò infrà citandi.

V. Neque inter fabulæ fabros in tem-e illo conſenſio vlla eſt, quo Pontificiam nina cathedram occupatā tenuerit. Hanc n ſediſſe autumant nonnulli *menſes* tan-modo *quatuor*, alij *annum vnum, menſem m, dies quatuor* Alij *annos duos ſolidos, men-e ſex.* Sed in tota Pontificum omnium

ſerie nõn eſt, vbi temporis tantũ vacui, quod miſeræ huic extorrique fœminæ dari rectè poſſit, inueniatur. Nam quocunq; hanc iſtis ſuis cum menſibus aut annis intrudere volueris, reclamabunt ijdem priſci ſcriptores, Pontificumq; Commentarij. Elabi vel ex hiſce ſolis argumentis duobus iam poſitis nõ poſſunt fabulatores. Fœcundum tamẽ fraudum pectus concuſſit Iunius, & tandem hanc excuſſit aſtutiam. Ioannis huius octaui annos duos, *alij includunt Leonis quarti annis, vt Sigebertus, alij diſcludunt & ſeparant, vt Marianus Scotus, & cæteri Alij reticent, omittuntq; velut damnatæ memoriæ quod Anaſtaſius & Ado Vienneſis fecit, annis circumſtantibus Leonis quarti videlicet, & Benedicti tertij includentes.* Sed omnium iſtorũ, quæ dicit, probat nihil. & verò, de Sigeberto quod ait, poſtea refelletur, itemque de Mariano, niſi quod hic notandum, in eius Chronico, ex fabulæ huius infartu, fœdum in annis erratum exiſtere. Cùm enim Leoni quarto anni VIII. rectè, ipſius item ſucceſſori Benedicto tertio anni II. menſes VI. dies VI. cum Anaſtaſio & Adone tribuantur, ijſdem verò fictitij Ioannis anni duo prauè interſerantur, fit vt idcirco duobus annis tardius Nicolai primi Pontificatus ibidem inchoetur. Anno ſiquidem IↃCCCLX. inchoatur, cùm inchoandus eſſet anno Domini IↃCCCLVIII. vt non ex Anaſtaſio tantùm, ſed ex Eccleſiarum Bremenſis & Hamburgenſis vnitionis diplomatibus perſpicuum. Anaſtaſium verò & Adonem

donem pſeudonymi Ioannis huius annos *circumſtantibus Leonis & Benedicti annis includere*, probabilitatis plus haud habet, quam ſi diceret quis, inter quoſcunque Imperatores interijciendum aliquem, cui Iunius nomen fuerit: eius vero annos non perſcribi quidem ab auctoribus, eos tamen circumſtantibus Imperatorum aliorum annis includi.

CAPVT XLII.

PLVRES EANDEM REM rationes.

XXVI. NVnc ſupereſt, vt ſcelus totum prodatur: & qui vir putabatur, mulier maximo ſuo malo appareat. Ergo, *in Papatu*, inquit Polonus, *per ſuum familiarem imprægnatur*. Scilicet, quæ tãdiu, tam continẽter ſeſe, magna cum integerrimę vitæ opinione, Romæ geſſerat, quæ Theclas & Catharinas, vel Ioſephos & Ioannes tam artificioſè ſimularat, Bacchanalia nunc & Aphrodiſia viuere incipit. Et *familiaris* ille quis? *ſeruus* à Platina dicitur. Vbi verò detectum facinus, nunquid omni iſte ſupplicio mactatus? An vel fuga, vel ſolenni pœnitentia liber & impunis?

XXVII. Cum autem grauidam ſeſe ſentiret impudiciſſima illa quidem, ſed aſtutiſſima & callidiſſima mulier, ad occulendum facinus

nus nihil tentauit? Non medicamentis partum abegit? Non ſibi vterum tumefieri conſpexit? Non tumefactum conſpiciebant alij tot quotidie interuentores, & rogatores? tot familiares & domeſtici? tot conſiliarij & medici? an non ſaltem ab iſtorum vllo tumorem illum conſpiciendum ſuſpicabatur? an emiſſitios vrbi & orbi oculos effoſſos omnes putabat.

XXVIII. Rurſum cum phyſicas egregiè diſciplinas calleret, ignorare non poterat, menſium eorum aliquem, quibus partum tribuit natura. Quid Aulularíæ Staphyla? *Probrum*, ait, *atq; partitudo propè adeſt, vt fiat palàm. Quòd celatum eſt, atq; occultatum vſque adhuc, nunc non poteſt.* Et verò, vt indoctiſſima fuiſſet, an neſcire poterat, quod vulgo, è fœtus motibus, ex vteri doloribus, è corporis totius varijs affectionibus prænoſſe omnes conſuerunt mulierculæ, cum cunabula, faſcias, mulierculartum aliarum præſentiam, aliaque neceſſaria præparant, imo & interdum antea de peccatis Chriſtianè confitentur, Euchariſtia ſacra ſe communiunt. Quomodo igitur latebram non quæſijt aliquam? non in villam vel abſtruſum aliquod caſtellum ſeceſſit? non morbum, vel occupationes, cauſaſque alias finxit, quibus, vti pridem inceperat, & norat, dedecus labemque tantam obtegeret? At verò eam horum nihil feciſſe, nihil cogitaſſe volunt fabulatores: ſed, contra omnem conſuetudinem, & rationem, ipſo etiam inſtãtis par-

Digitized by Google

die, in hominum ſeſe conſpectum, in vr-
totius lucem, foras extra palatium dediſ-
iamque in vrbe longam, actionemque ſo
nem & conſpicuam inſtitu iſſe. Polonum
li. *Tempus partus ignorans, cum de S. Petro in*
eranum tenderet, anguſtiata, inter Coliſeum
S. Clementis Eccleſiam peperit. Omnis profe-
illius prudentiæ, ac ſcientiæ, qua eam an-
iſti complebant, inaniſſimam, laruarumq;
eniſſimam, & non tam puero, quàm inſania
auidiſſimam fuiſſe oportuiſſet, ſi aut partũ
ſtare non preſenſiſſet parturiens, aut ſi pre
iſiſſet, nihilo tamen minus ſe tam multis,
m curioſis, & ſuſpicioſis hominum oculis
blica in re ac loco, tam imprudenter ac in
nſultè commiſiſſet. Iunius tamen, quaſi vel
upidi eſſent omnes homines, vel rerum na-
ra immutata eſſet; probabile illud eſſe dicit
um enim, inquit, *fœmina periculum partus mi-*
mè omnium ſentire ſolet, quum partui eſt propin
ua maximè, quaſi fortificante eam natura aduer
is δυσοχίαν. Priorem verborum iſtorum par-
em refutat experientia. Cur enim ita ſe ad
ariendum parant mulieres, niſi quia cùm
ariendi hora propior ſit, periculum illud
ræſentiſcunt vel maximè? Cur in plateis, &
alàm parit nulla, niſi fortè paupercula quę-
piam, cui vel domus nulla, vel quam ſum-
ma domi egeſtas, ad quæritandum victum,
è domo in agrum, aut aliò quopiam expellit?
Cur in Prophetis & Euangelijs toties *par-*
turientis, parientiſque dolores, preſſuræ,
 aum-

anguſtiæq; propoſitæ? Poſterior eorundem verborum pars in quibuſdam vera eſt, in quibuſdam falſa: in ijs nimirum, quas partu interdum extingui, ſæpe admodum debilitari videmus. Dixit 4. Reg. 19. & apud Iſaiam ca. 37. v. 3. Ezechias Rex: *Venerunt filij vſq; ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Sed eſto, roboretur aduerſus δυϛοκίαν in omnibus natura: enitantur omnes fortiſſimè, feliciſſimè: nulla nó ſimilis exiſtat inopis illius mercenariæ, quam refert apud Strabonem lib. 3. Poſidonius, inter fodiendum, partus correptam doloribus ab opere non procul diſceſſiſſe, editoq; fœtu ad opus, ne mercedulæ iacturam faceret, redijſſe ilicò. Idipſum tamen animo præcipere, ſuaſque ad enitendum vires colligi ac intendi, prius poſſunt aduertere. Atque id argumento huic ſatis eſt: quod aliter ſóluere non quiuit Iunius, niſi communem naturæ curſum, ac vſum frangendo, conuiciumque in Ieſuitas adijciendo, quod, vt caſtis reuerentia ſis auribus, non refero.

XXIX. Nihil igitur ſcilicet de partitudine cogitans, nihil præſciens, aut preſentiens foras in hominum multitudinem maximam progreſſa eſt, *in Lateranum*, inquit Polonus, ſeu in Lateranenſem Eccleſiam, & quidem, vt aiunt Magdeburgici, *vt Miſſam illic ſolenni ritu celebraret*: alij verò, *vt proceſsionem quandam ſacram obiret*, ſeu vt vocat Anonymus, *Litaniam*. Volitant enim huc illuc, tota Germania, picturæ, in quib⁹ Papa iſte multis

cum

cum Cardinalibus,Epiſcopis,Clericis, & innumerabili hominum multitudine, ſacris prælatis crucibus & vexillis;venerabile ſacramentum geſtans, procedere pingitur. Quidã verò Ecmődenſis Ioannes eundem equitaſſe vult Pontificem. Poſſet autem ab his meritò ſciſcitari quiſpiam,cuiuſmodi proceſſio hæc, & quam ob cauſam inſtituta fuerit?cuiuſmodi ſolenne illud ſacrum, & quo anni tempore ac menſe iſta contigerint omnia? Nam & ex his, vti & ex alijs rei circumſtantijs falſitas coargueretur. Sed illud potiùs cőſideremus, vnde puerperam hanc ad Lateranum veniſſe fabulentur iſti. *De Sancto Petro,* ait Polonus,& clariùs adhuc Magdeburgici, *è Vaticano.* At certo certius eſt, Pontifices ante Bonifacij noni tempora, ſeu ante annum Domini CIƆCCCXC.non in Vaticano,ſed in Laterano ipſo habitaſſe, prout libro de ſeptem Eccleſijs monſtrat quàm clariſſimè Onuphrius. Quomodo ergo ad ſacris operandum, vel proceſſioni vacandum *è S. Petro & Vaticano* exijt Moguntina prægnans? Hic defecerunt fallaciæ omnes Iunium, niſi quod mendaciũ dum fatetur,extenuat. *Eſto,*ait,*hoc ſanè ἱϛορικὸν Magdeburgenſium ἁμάρτημα, qui Platinæ, aliorumque verba non ſatis intellexerunt.* At verò lepidum eſt audire, quemadmodum Platinam ipſe intelligat. *Cùm aliquandiu,* ait Platina, *occultè ventrem tuliſſet* Pontifex, *tandem dum ad Lateranenſem baſilicam proficiſceretur,&c. peperit.* Quid igitur eſt ad Lateranenſem baſili-

cam proficiſci? *Id eſt*, inquit Iunius, *domum verſus*. Sanè ſi terminus à quo, vt philoſophicè dicam, eſt terminus ad quem, tunc vterque Lateranum terminus eſt. Subdolè verò appingit Iunius; *ſi credimus Onuphrio*. quaſi hæc iam poſita interpretatio eſſet illius diligentiſſimi auctoris, & non mendaciſſimi Iunij, colorem ex eo captantis, quòd in Laterano, illis ipſis, in quæ fabula iſta conijcitur, ſæculis, & plurimis adhuc annis poſtea Pontificum domicilium non in Vaticano, ſed in Laterano eſſe demonſtraret. Prudentior iſtis fuit Islebienſis Comœdus, qui *non in itinere*, ſed in *Palatij aula* peperiſſe, in ſcena dixit.

XXX. Sed in illa non aula, ſed progreſſione, *anguſtiata*, inquit Polonus, *inter Coliſæum, & S. Clementis Eccleſiam peperit*. Poloni verò explicator & perpolitor Platina, *Inter theatrum (quod Coloſſæum vocant à Neronis Coloſſo) & S. Clementis, doloribus circumuenta peperit*. Alius verò quidam: *Papa peperit puerum, penes portam Petri Pauli*: Voluit iſte ſingulis verbis primam eandem tradere litteram: ſed & à ſuperioribus diſſonat: & vltimum vel vltimo potius poſteriorem, id eſt nullum, veritati locum dat. Neque enim vlla Romę porta eſt, quæ *Petri* appelletur: neque locus vllus, qui *Petri Pauli*.

XXXI. Attamen peperit Pontifex. Monſtrum ſine dubio peperit monſtrifica puerpera. Quodnam verò? Puellum, an puellam? Neutrum.

ıtrum.fortaſſe androgynum? Ne hoc qui-
ı.Quid ergo? Dici non poteſt. Neq; fuit,
ue eſt,aut erit tale quidpiam. Quod bapti
ımne ſit an non,certo inſignitum nomine
ıullo, ſuperſteſne an mortuum fuerit,ig-
atur. Anonymus partum ilicò in loco ip-
'nà cum pariente mortuum aſſeuerat. So-
poſt tot ſæcula extitit Iunius,qui puerum
lla editum,ſuperſtitemque *multis annis* po
. fuiſſe comminiſci ac efiutire auſus fuerit.
de autem ſcierit, ſi roges,è ſuo dicet cere-
ı,ita ei placet dicere. Placeat igitur & no-
credere. Si tamen tot annos ſuperſtes fuit,
.lem in virum euaſit? non omnium in-
atus digitis? non velut monſtrum , mon-
'ſque proles, curioſiſſimè ab omnibus vi
conuiſusq; fuit ?

:XII. Infelix porrò puerpera mortua
Quando autem,vbi,& quomodo, non tra
Polonus. Tantum enim dicit,*Et poſtea mor*
,ibidem , vt dicitur, ſepulta fuit. Sepulturæ
.dem locum notat,ſed quãto tempore poſt
erperium, quo etiã in loco & modo mor-
ı oppetierit,reticet, quia fabularum ſatis
ı multum putabat. Poſteriores verò,vt
tina, *eo loci* mortuam , & quidem ſtatim,
ctantibus & *attonitis omnibus*, vti narrat A-
ıymus. Probatio autem vel auctoritas ab
non petenda , quia hi ipſimet auctores.
ıidam tamen cum hominem laudare teſtẽ
llum queant , Angelum cœlo deuo-
ıt , qui , velut è machina DEVS

Pon-

Digitized by Google

Pontifici huic nuntiarit, ſiquidem ſaluus eſſe vellet, hoc in ſceleratæ impuræque vitæ pœnam ei ferundum, vt publicè, coram omnibus magno cum rubore ac dolore, abſque obſtetricibus vllis in platea pariat. Ecquis verò mucoſæ, obeſæq; adeo naris, vt fabulam non olfaciat?

XXXIII. De funere tantummodo illud ait Polonus, quod ſuprà retuli, *eo*, vbi peperit, *loco ſepultam eſſe*: addit autem eius dilatator & concinnator Platina, *ſine vllo honore*: omnium verò fabulantium patronus & amplificator Iunius, idcirco lege ab ſucceſſore Benedicto III. cautum eſſe, vt Clericorum funera Pontifex, Pontificis verò Clerici exequerentur. *Quum*, ait, *Ioannes VIII. ſine vllo honore tumultuariè & inconſulto ſepulta fuiſſet, Benedictum III. credibile eſt tuliſſe legem, quam refert Platina, vt funeribus Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi Pontifex vna cum Clero intereſſet, honorandi corporis defuncti & commendandæ animæ gratia; mandauitq; vt viciſſim Clerus mortui Pontificis funus celebraret: tanquam ſi palam oſtendere voluiſſet intolerabilem ſegnitiem eſſe hanc, quod Clerus anteceſſoris funus non fuerit proſequutus.* Amabo te Iuni. Neſcis vnquam erubeſcere? non potes vnquam bene tacere? Quæ iſta væſana tua quidlibet, quod in buccam venit, ſine auctoribus, ſine rationibus effutiendi audacia? Si *ſegnitiem*, eamque *intolerabilem* putabat Benedictus, quòd infamis huius puerperæ funus non celebraſſet Clerus Romanus;

Digitized by Google

; ergo illius non valdè improbabat faci-
, non admodum deteſtabatur libidinem,
propudioſam exhorrebat partionem. At
ut omnes conteſtantur ſcriptores, ipſe et-
Platina, *vir fuit iſte Benedictus & doctiſsi-
& ſanctiſsimus.* Quin verò ſi ante ipſius
tificatum, ſacram Diui Petri ſedem ita
aſiſſet, inuaſamque polluiſſet atque con-
inaſſet tam ſcelerata & nefaria vlla mu-
, hanc, opinor, ſi ſepulta vllibi fuiſſet,
di, refoſſamque canibus & auibus, obij-
aut comburi, aut in Tyberim denique
ijci iuberet iuſtitiæ, diuinique honoris a-
tiſſimus Pontifex. Digniſſimum enim il-
ſcelus ſepultura inſepultiſſima, vel, vt ab
mia noſtro vocatur; *aſini ſepultura.* Et illa
lex ortum è ſumma potius miſericordia,
in omnes, ægros præſertim & defunctos,
batur ille, habuit, prout ipſemet ſatis in-
Platina, cùm ſubdit: *Ipſe verò quod inſti-
dum in vita eſſet, non verbis tantùm, ſed rei-
mprobauit. Sacerdotum enim funeribus ſem-
terfuit. AEgrotos præterea inuiſit, pauperes
deſperatos & calamitoſos conſolatus eſt, vi-
& pupillos acerrimè tutabatur.* Accedit
l eius tempore peſtis quædam, quæ ab
iijs nonnullos terrabat graſſata eſt, anno
ini I Ↄ CCCLVI. teſte Ioanne Diacono
Gregorij vita.

XXIV. Cùm autem D. Petri ſedem ca-
e iſto vacue feciſſet, ac liberaſſet Domi-
nus,

nus,ad illam euectus quis?Illi ſucceſſit quis? Nemo, nemo õniũ. Et patet hoc ex argumẽto XIX. ſuprà poſito. Si enim falſum eſt, vti falſiſſimum eſſe illic probatum; Pontifici vlli ſucceſſiſſe fœminam, falſum item eſt, fœminę Pontificem ſucceſſiſſe vllum. De intermedijs autem ſermo eſt, non de primo aut vltimo.

XXXV. Atque hæc argumenta ferè omnia ex ipſis rei aut fabulæ potius, quæ narratur, viſceribus prompta ſunt: nunc alia etiam adiungenda, eaque varia & ſolida. Fuere ſiquidem illis ipſis annis, in quos contaminatiſſimum hoc incidiſſe puerperium dicitur, hiſtorici, ſcriptoreſque varij, qui & ſæculi illius res geſtas, & Pontificum acta, tempora, nomina, vel ex inſtituto, vel ex occaſione quapiam attigerunt, litteriſq; mandarunt, vt Anaſtaſius Bibliothecarius, Guilelmus Bibliothecarius, Lupus Ferrarienſis, Nicolaus I. Pontifex, Hincmarus, Ado Viennenſis, Ioannes Diaconus; alij. Ex omnibus autem ne vnus quidem eſt, qui vel minimam Pontificis fœminæ mentionem vſquam fecerit. Et tamen viri iſti perinſignes fuere Bibliothecarij etiam illi Romæ tum commorabantur, ipſeque Anaſtaſius ſe Pontificum ſex, Sergij II. Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. Hadriani II. & Ioannis VIII. creationibus interfuiſſe affirmat. Num ſi quid eiuſmodi accidiſſet, ſi non longiſſimè, breuiter tamẽ, vno ſaltem aliquo verbulo nõ innuiſſent? Reſpõdet duo Iunius. Vnum, *Non ſequitur ex auctoritate negatiua*, vt

loquun-

uuntur: Non dixit aut ſcripſit ille. Hoc igitur n fuit. At affirmatiua potius auctoritas eſt :Illi tales tantique viri poterant, meritoq; bebant momenti tanti rem, quæ ipſorum nporibus,rebuſque quas ſcribebant,cohę- ıter contigiſſet,ſcribere. Vel igitur officio ſuo functi non ſunt, vel res talis nulla tũ t. At non illud. Iſtud ergo. Alterum. *Non ſerunt illi,quia damnata fuit publica auctori- e memoria illius, & eraſum è faſtis publicis no- 1.* Et poſtea. *Reticuit Anaſtaſius ex iudicio & toritate publica,quæ vel ſolam rei memoriam matam,ſepultam,extinctam, voluerat:* Et vt iel cum ratione inſaniat, Sigebertum, & tthæum Palmerium citat.Sed vt de aucto ıs nihil dum dicam;vterque hiſce tantùm ɔis vtitur: *Eam* puerperam *inter Pontifices numerant quidam,ideo nomine numerum non* . Vbi vlla hic *auctoritas publica*, qua illius nata dicitur memoria? vbi iuſſum, ſan- ve vlla, qua eius è faſtis publicis eraſum ıen?Neque vlla eſt,neque vlla opus fuit. ım mulier fuit, Pontifex non fuit. Si tifex non fuit, inter Pontifices non eſt eranda:Si inter Pontifices non numerã- ɔq; ſuo nomine debet eorum,qui Ponti- fuerunt,Ioanneſq; vocati ſunt, numerũ ·e.Et tamen in iſtorum adhuc auctorum s obſeruandum illud, *Non numerant qui* quaſi dicerent, *Quidam verò numerant.* hi contra auctoritatem publicam? am ij?cur non puniti?cur eorũ libri non com-

combuſti aut concerpti? Cur ex ijs hoc ſaltem non eraſum? Senſit Iunius in hiſce duobus non eſſe illi, quam excogitauit, auctoritati publicæ præſidij ſatis, ad alium confugit dicens: *Sed omnium euidentiſsimè auctor Faſciculi temporum his verbis: Hic ſextus videtur fuiſſe Papa, qui nomen ſanctitatis ſinere habuit vſque huc, & ſimiliter ſicut alij, à Deo plagatus fuit, nec ponitur in Catalogo Pontificum.* Sed omnium euidentiſſimè declarat Faſciculus iſte mendaciorum faſces, qui in Iunij libris colligati. Nam neque in iſto vlla *publicæ* vllius *auctoritatis* mentio: neque ex eo magis, quàm ex duobus prioribus colligi poteſt, ideo in Pontificum catalogo fœminam non poni *ex iudicio & auctoritate* publica. Sed tantùm, quia res ipſa loquitur, poni non oportere. Nam cùm Faſciculus iſte dicat, Papam hunc *videri ſextum*, qui ſine re ſanctitatis nomen habuerit, *de alijs quinque* quid Iunius? Num quia Pontificum eos non recipit Catalogus, ideo auctoritate publica ſcriptoribus id vetitum affirmat? Sed eſto, vetitum id ſit, num etiam factum & cauſam, ob quam Catalogo illo excludendi eſſent, ſcribere ijs vetitum? At ſcribunt ſcriptores. Ideoque, etiamſi auctoritate publica, quæ nulla vſquam comparet; eſſet è Pontificali Catalogo excluſiſſimus Pſeudo-Ioannes, cauſa tamen cur in eum non reciperetur, perſcribi potuiſſet. Faceſſat igitur ſuis cum faſcibus Iunius: neque auctoritates nobis proloquatur publicas, quæ factæ nunquã, viſæ

ſæ vel auditæ nuſquam. Quod vt magis ad-
ıc perſpiciatur, quæro à quo auctoritas illa
ıanarit publica? Num à Pontifice Pſeudoio-
ınis ſucceſſore Benedicto, an à ſenatu popu-
ɔque Romano? Non à Benedicto, quia is, vt
ıprà quidem voluit Iunius; ægre ferebat, ab-
ctè ac inhonore illum ſcpultum. Non à S.
.Q.R. quia facinoris tanti memoriam is cu-
odire ac perpetuare ſtuduit maximè, prout
lem alia occaſione nugatur Iunius dum
le illius memoria & ſtatua ita loquitur: *Sta-
im poſt Ioannis tempus, rem credibile eſt à populo
Romano curatam eſſe*. Sed ſiue Pontifex, ſiue S.
.Q.R. decreto publico ſtatuiſſet, in Pontificũ
aſtis non collocandum hoc nomen, eiuſque
prorſus abolendam memoriam; quomodo a-
ias in oras indicio non manaſſet aliquo? Effia
at enim publicè, coram populo vniuerſo,
celeſtam animam gemens, horrendumq; cla-
mans infeliciſſima meretrix. Quis dubitet eo
ipſo die in omnes pænè terrarũ orbis partes,
à tanta omnis generis hominũ, qui Romæ eſſe
ſolẽt, multitudine, à tot legatis, cõuenis, & pe
regrinis miſſitãdas fuiſſe litteras? Quis noua
tam noua, mira tam mira, prodigia tã pro-
digioſa, ſi non à multis, à quibuſdã ſaltem in
Galliam, Germaniam, Græciam, aliaſve re-
giones perſcribenda fuiſſe non putet? Quæ in
magnorum domibus fiunt, celari vix poſſunt.
Quomodo quæ in tam magno, tam magna,
tanta in hominum frequentia, tam conſpectè
ac palàm eueniſſent celarentur? Et verò de-

Digitized by Google

cretum illud, quando factum fuiſſet? Num antequam nouus delectus eſſet Pontifex? Num antequam cadauer illud terra obrutum? Aliæ tum curæ fuiſſent, alia negotia. Poſt noui verò Pontificis electionem, teterrimique cadaueris humationem ſerum nimis fuiſſet ſilentium, cum tota iam Italia percrebuiſſet facilè facinus. Accedit, quod adeo noluerint Romani ſuppreſſam, ſepultamque rei huius memoriam, vt ad eius perpetuitatem cathedras, imagines, & ſacella noua conſtituiſſe à fabulatoribus narrentur Sed de his poſtea.

XXXVI. Poſt falſum falſi huius portenti obitum, ſecuta eſt tota ſolidorum annorum centuria, ab anno ſcilicet IↃCCCLVI. vel proximo, vſque ad IↃCCCCLVI. vel proximum. & in hiſce varij rurſum, qui de Pontificibus ſcriberent, fuere. Quis omnium Pontificiæ vllius fœminæ meminit? Quis vel vnica ſyllaba prodigiale hoc ſubindicat? An Iunianæ illius auctoritatis auctoritas & pondus adhuc vigebat? An perpetuo adhuc ſilentio ficti memoria Pontificis obruenda erat? Dicere non poteſt Iunius, qui ſtatim, poſt huius mortem, memorando facto ſtatuam à S. P. Q. R. ſtatutam vult.

XXXVII. Secuta eſt alia ſolidorum item annorum centuria, ab anno nimirum IↃCCCCLVI. vel proximo, vſque ad CIↃLVI. vel proximum. Et omnes iterum ſilent hiſtorici, Chronologi, & Nomenclatores. Ne vnus quidem, qui intra illud temporis, vel vnam,

dè

e hoc voculam aut apicem in chartas concerit, proferri poteſt. Nam poſt annum illũ ICLVI. ſcribere primum cœpit Marianus cotus, de quo poſtea; cùm vt ſupra dictum t, eo anno è patria exierit.

XXVIII. Poſt tot demum annos, tam elinues & mutos, cœpiſſe dicuntur aliqui hoc ſum litteris tradere, vt dictus iam Marianus. de quo antequam dicam propriè, notaone dignum eſt, tam eum, quàm poſterioes alios omnes, qui, ad exortam vſque Nouaorum noſtrorum impudentiam, factum hoc ne[illegible]arunt; omnes inquam ita memoraſſe, t non aſſeuerarent verum, non certò, neque impliciter, eove quo alia memorant, modo narrarent, ſed cum cautione, qua rem potius ncertam, cuius non penes ſe, ſed penes runorem quendam, & alios quoſcunque fidem ſſe vellent. Nam in manuſcripto Mariani Scoti codice, quem mihi D. Ioan. Latomus Francofurti monſtrauit, quemque in edito corrigendo ipſe ſequutus eſt; ita habetur: *Huic Leoni ſucceſſit, qui fuit mulier*, VT ASSERITVR. in Edito; FAMA EST, *hũc Ioannẽ fœminã fuiſſe*. Martinus Polonus; *Hic*, VT ASSERITVR, *fœmina fuit*. Hunc citat S. Antoninus 2. p. hiſt. tit. 16. & addit. *Verè valdè mirandum, & cum populo clamandum, ô altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius*, SI VERVM FVIT, quod vulgo dicitur, vt iſte refert, &c. *Vincentius tamen*

cam proficiſci? *Id eſt*, inquit Iunius, *domum verſus*. Sanè ſi terminus à quo, vt philoſophicè dicam, eſt terminus ad quem, tunc vterque Lateranum terminus eſt. Subdolè verò appingit Iunius; *ſi credimus Onuphrio*. quaſi hæc iam poſita interpretatio eſſet illius diligentiſſimi auctoris, & non mendaciſſimi Iunij, colorem ex eo captantis, quòd in Laterano, illis ipſis, in quæ fabula iſta conijcitur, ſæculis, & plurimis adhuc annis poſtea Pontificum domicilium non in Vaticano, ſed in Laterano eſſe demonſtraret. Prudentior iſtis fuit Islebienſis Comœdus, qui *non in itinere*, ſed in *Palatij aula* peperiſſe, in ſcena dixit.

XXX. Sed in illa non aula, ſed progreſſione, *anguſtiata*, inquit Polonus, *inter Coliſæum, & S. Clementis Eccleſiam peperit*. Poloni verò explicator & perpolitor Platina, *Inter theatrum (quod Coloſſæum vocant à Neronis Coloſſo) & S. Clementis, doloribus circumuenta peperit*. Alius verò quidam: *Papa peperit puerum, penes portam Petri Pauli*: Voluit iſte ſingulis verbis primam eandem tradere litteram: ſed & à ſuperioribus diſſonat: & vltimum vel vltimo potius poſteriorem, id eſt nullum, veritati locum dat. Neque enim vlla Romę porta eſt, quæ *Petri* appelletur: neque locus vllus, qui *Petri Pauli*.

XXXI. Attamen peperit Pontifex. Monſtrum ſine dubio peperit monſtrifica puerpera. Quodnam verò? Puellum, an puellam? Neutrum.

Neutrum. fortaſſe androgynum? Ne hoc quidem. Quid ergo? Dici non poteſt. Neq; fuit, neque eſt, aut erit tale quidpiam. Quod baptizatumne ſit an non, certo inſignitum nomine an nullo, ſuperſteſne an mortuum fuerit, ignoratur. Anonymus partum ilicò in loco ipſo vnà cum pariente mortuum aſſeuerat. Solus poſt tot ſæcula extitit Iunius, qui puerum ab illa editum, ſuperſtitemque *multis annis* poſtea fuiſſe comminiſci ac effutire auſus fuerit. Vnde autem ſcierit, ſi roges, è ſuo dicet cerebro, ita ei placet dicere. Placeat igitur & nobis credere. Si tamen tot annos ſuperſtes fuit, qualem in virum euaſit? non omnium indicatus digitis? non velut monſtrum, monſtrique proles, curioſiſſimè ab omnibus viſus conuiſusq; fuit?

XXXII. Infelix porrò puerpera mortua eſt. Quando autem, vbi, & quomodo, non tradit Polonus. Tantum enim dicit, *Et poſtea mortua, ibidem, vt dicitur, ſepulta fuit.* Sepulturæ quidem locum notat, ſed quãto tempore poſt puerperium, quo etiã in loco & modo mortem oppetierit, reticet, quia fabularum ſatis iam multum putabat. Poſteriores verò, vt Platina, *eo loci* mortuam, & quidem ſtatim, ſpectantibus & *attonitis omnibus*, vti narrat Anonymus. Probatio autem vel auctoritas ab his non petenda, quia hi ipſimet auctores. Quidam tamen cum hominem laudare teſtẽ nullum queant, Angelum cœlo deuocant, qui, velut è machina DEVS

Pon-

Pontifici huic nuntiarit, ſiquidem ſaluus eſſe vellet, hoc in ſceleratæ impuræque vitæ pœnam ei ferundum, vt publicè, coram omnibus magno cum rubore ac dolore, abſque obſtetricibus vllis in platea pariat. Ecquis verò mucoſæ, obeſæq; adeo naris, vt fabulam non olfaciat?

XXXIII. De funere tantummodo illud ait Polonus, quod ſuprà retuli, *eo*, vbi peperit, *loco ſepultam eſſe* : addit autem eius dilatator & concinnator Platina, *ſine vllo honore*: omnium verò fabulantium patronus & amplificator Iunius, idcirco lege ab ſucceſſore Benedicto III. cautum eſſe, vt Clericorum funera Pontifex, Pontificis verò Clerici exequerentur. *Quum*, ait, *Ioannes VIII. ſine vllo honore tumultuariè & inconſulto ſepulta fuiſſet, Benedictum III. credibile eſt tuliſſe legem, quam refert Platina, vt funeribus Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi Pontifex vna cum Clero intereſſet, honorandi corporis defuncti & commendandæ animæ gratia; mandauitq; vt viciſſim Clerus mortui Pontificis funus celebraret: tanquam ſi palam oſtendere voluiſſet intolerabilem ſegnitiem eſſe hanc, quod Clerus anteceſſoris funus non fuerit proſequutus.* Amabo te Iuni. Neſcis vnquam erubeſcere? non potes vnquam bene tacere? Quæ iſta væſana tua quidlibet, quod in buccam venit, ſine auctoribus, ſine rationibus effutiendi audacia? Si *ſegnitiem*, eamque *intolerabilem* putabat Benedictus, quòd infamis huius puerperæ funus non celebraſſet Clerus Romanus;

nus; ergo illius non valdè improbabat facinus, non admodum deteſtabatur libidinem, non propudioſam exhorrebat partionem. At prout omnes conteſtantur ſcriptores, ipſe etiam Platina, *vir fuit iſte Benedictus & doctiſſimus & ſanctiſſimus*. Quin verò ſi ante ipſius Pontificatum, ſacram Diui Petri ſedem ita inuaſiſſet, inuaſamque polluiſſet atque contaminaſſet tam ſcelerata & nefaria vlla mulier, hanc, opinor, ſi ſepulta vllibi fuiſſet, refodi, refoſſamque canibus & auibus, obijci, aut comburi, aut in Tyberim denique proijci iuberet iuſtitiæ, diuinique honoris amantiſſimus Pontifex. Digniſſimum enim illud ſcelus ſepultura inſepultiſſima, vel, vt ab Ieremia noſtro vocatur; *aſini ſepultura*. Et illa eius lex ortum è ſumma potius miſericordia, qua in omnes, ægros præſertim & defunctos, ferebatur ille, habuit, prout ipſemet ſatis indicat Platina, cùm ſubdit: *Ipſe verò quod inſtituit, dum in vita eſſet, non verbis tantùm, ſed reipſa comprobauit. Sacerdotum enim funeribus ſemper interfuit. AEgrotos præterea inuiſit, pauperes aluit, deſperatos & calamitoſos conſolatus eſt, viduas & pupillos acerrimè tutabatur.* Accedit quòd eius tempore peſtis quædam, quæ ab exequijs nonnullos terrabat graſſata eſt, anno Domini IↃCCCLVI. teſte Ioanne Diacono in S. Gregorij vita.

XXXIV. Cùm autem D. Petri ſedem cadauere iſto vacue feciſſet, ac liberaſſet Dominus,

nus,ad illam euectus quis? Illi ſucceſſit quis? Nemo, nemo ōniū. Et patet hoc ex argumēto XIX. ſuprà poſito. Si enim falſum eſt, vti falſiſſimum eſſe illic probatum; Pontifici vlli ſucceſſiſſe fœminam, falſum item eſt, fœminæ Pontificem ſucceſſiſſe vllum. De intermedijs autem ſermo eſt, non de primo aut vltimo.

XXXV. Atque hæc argumenta ferè omnia ex ipſis rei aut fabulæ potius, quæ narratur, viſceribus prompta ſunt: nunc alia etiam adiungenda, eaque varia & ſolida. Fuere ſiquidem illis ipſis annis, in quos contaminatiſſimum hoc incidiſſe puerperium dicitur, hiſtorici, ſcriptoreſque varij, qui & ſæculi illius res geſtas, & Pontificum acta, tempora, nomina, vel ex inſtituto, vel ex occaſione quapiam attigerunt, litteriſq; mandarunt, vt Anaſtaſius Bibliothecarius, Guilelmus Bibliothecarius, Lupus Ferrarienſis, Nicolaus I. Pontifex, Hincmarus, Ado Viennenſis, Ioannes Diaconus; alij. Ex omnibus autem ne vnus quidem eſt, qui vel minimam Pontificis fœminæ mentionem vſquam fecerit. Et tamen viri iſti perinſignes fuere. Bibliothecarij etiam illi Romæ tum commorabantur, ipſeque Anaſtaſius ſe pontificum ſex, Sergij II. Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. Hadriani II. & Ioannis VIII. creationibus interfuiſſe affirmat. Num ſi quid eiuſmodi accidiſſet, ſi non longiſſimè, breuiter tamē, vno ſaltem aliquo verbulo nō innuiſſent? Reſpōdet duo Iunius. Vnum, *Non ſequitur ex auctoritate negatiua*, *vt*

loquun-

loquuntur: Non dixit aut ſcripſit ille. Hoc igitur non fuit. At affirmatiua potius auctoritas eſt ſic:Illi tales tantique viri poterant, meritoq; debebant momenti tanti rem, quæ ipſorum temporibus,rebuſque quas ſcribebant,cohęrenter contigiſſet,ſcribere. Vel igitur officio illi ſuo functi non ſunt, vel res talis nulla tũ fuit. At non illud. Iſtud ergo. Alterum. *Non ſcripſerunt illi,quia damnata fuit publica auctoritate memoria illius, & eraſum è faſtis publicis nomen.* Et poſtea. *Reticuit Anaſtaſius ex iudicio & auctoritate publica,quæ vel ſolam rei memoriam damnatam,ſepultam,extinctam, voluerat:* Et vt ſemel cum ratione inſaniat, Sigebertum, & Matthæum Palmerium citat.Sed vt de auctoribus nihil dum dicam;vterque hiſce tantùm verbis vtitur: *Eam* puerperam *inter Pontifices non numerant quidam,ideo nomine numerum non facit.* Vbi vlla hic *auctoritas publica*, qua illius damnata dicitur memoria ? vbi iuſſum, ſanctiove vlla, qua eius è faſtis publicis eraſum nomen?Neque vlla eſt,neque vlla opus fuit. Si enim mulier fuit, Pontifex non fuit. Si Pontifex non fuit, inter Pontifices non eſt numeranda:Si inter Pontifices non numerãda,neq; ſuo nomine debet eorum,qui Pontifices fuerunt,Ioanneſq; vocati ſunt, numerũ augere.Et tamen in iſtorum adhuc auctorum verbis obſeruandum illud, *Non numerant quidam.* quaſi dicerent, *Quidam verò numerant.* Ergo hi contra auctoritatem publicam? Quinam ij?cur non puniti?cur eorũ libri non com-

combuſti aut concerpti? Cur ex ijs hoc ſaltem non eraſum? Senſit Iunius in hiſce duobus non eſſe illi, quam excogitauit, auctoritati publicæ præſidij ſatis, ad alium confugit dicens: *Sed omnium euidentiſsimè auctor Faſciculi temporum his verbis: Hic ſextus videtur fuiſſe Papa, qui nomen ſanctitatis ſine re habuit vſque huc, & ſimiliter ſicut alij, à Deo plagatus fuit, nec ponitur in Catalogo Pontificum.* Sed omnium euidentiſſimè declarat Faſciculus iſte mendaciorum faſces, qui in Iunij libris colligati. Nam neque in iſto vlla *publica* vllius *auctoritatis* mentio: neque ex eo magis, quàm ex duobus prioribus colligi poteſt, ideo in Pontificum catalogo fœminam non poni *ex iudicio & auctoritate* publica. Sed tantùm, quia res ipſa loquitur, poni non oportere. Nam cùm Faſciculus iſte dicat, Papam hunc *videri ſextum*, qui ſine re ſanctitatis nomen habuerit, *de alijs quinque* quid Iunius? Num quia Pontificum eos non recipit Catalogus, ideo auctoritate publica ſcriptoribus id vetitum affirmat? Sed eſto, vetitum id ſit, num etiam factum & cauſam, ob quam Catalogo illo excludendi eſſent, ſcribere ijs vetitum? At ſcribunt ſcriptores. Ideoque, etiamſi auctoritate publica, quæ nulla vſquam compareat; eſſet è Pontificali Catalogo excluſiſſimus Pſeudo-Ioannes, cauſa tamen cur in eum non reciperetur, perſcribi potuiſſet. Faceſſat igitur ſuis cum faſcibus Iunius: neque auctoritates nobis proloquatur publicas, quæ factæ nunquã,

viſæ

viſæ vel auditæ nuſquam. Quod vt magis adhuc perſpiciatur, quæro à quo auctoritas illa manarit publica? Num à Pontifice Pſeudoioannis ſucceſſore Benedicto, an à ſenatu populoque Romano? Non à Benedicto, quia is, vt ſuprà quidem voluit Iunius; ægre ferebat, abiectè ac inhonore illum ſepultum. Non à S. P. Q. R. quia facinoris tanti memoriam is cuſtodire ac perpetuare ſtuduit maximè, prout idem alia occaſione nugatur Iunius dum de illius memoria & ſtatua ita loquitur: *Statim poſt Ioannis tempus, rem credibile eſt à populo Romano curatam eſſe.* Sed ſiue Pontifex, ſiue S. P. Q. R. decreto publico ſtatuiſſet, in Pontificũ faſtis non collocandum hoc nomen, eiuſque prorſus abolendam memoriam; quomodo alias in oras indicio non manaſſet aliquo? Efflarat enim publicè, coram populo vniuerſo, ſceleſtam animam gemens, horrendumq; clamans infeliciſſima meretrix. Quis dubitet eo ipſo die in omnes pænè terrarũ orbis partes, à tanta omnis generis hominũ, qui Romæ eſſe ſolẽt, multitudine, à tot legatis, cõuenis, & peregrinis miſſitãdas fuiſſe litteras? Quis noua tam noua, mira tam mira, prodigia tã prodigioſa, ſi non à multis, à quibuſdã ſaltem in Galliam, Germaniam, Græciam, aliaſve regiones perſcribenda fuiſſe non putet? Quæ in magnorum domibus fiunt, celari vix poſſunt. Quomodo quæ in tam magno, tam magna, tanta in hominum frequentia, tam conſpectè ac palàm eueniſſent celarentur? Et verò de-

de hoc voculam aut apicem in chartas coniecerit, proferri poteſt. Nam poſt annum illũ CIↃLVI. ſcribere primum cœpit Marianus Scotus, de quo poſtea; cùm vt ſupra dictum eſt, eo anno è patria exierit.

XXXVIII. Poſt tot demum annos, tam elingues & mutos, cœpiſſe dicuntur aliqui hoc ipſum litteris tradere, vt dictus iam Marianus. de quo antequam dicam propriè, notatione dignum eſt, tam eum, quàm poſteriores alios omnes, qui, ad exortam vſque Nouatorum noſtrorum impudentiam, factum hoc memorarunt; omnes inquam ita memoraſſe, vt non aſſeuerarent verum, non certò, neque ſimpliciter, eove quo alia memorant, modo narrarent, ſed cum cautione, qua rem potius incertam, cuius non penes ſe, ſed penes rumorem quendam, & alios quoſcunque fidem eſſe vellent. Nam in manuſcripto Mariani Scoti codice, quem mihi D. Ioan. Latomus Francofurti monſtrauit, quemque in edito corrigendo ipſe ſequutus eſt; ita habetur: *Huic Leoni ſucceſſit, qui fuit mulier,* VT ASSERITVR. in Edito; FAMA EST, *hũc Ioannẽ fœminã fuiſſe*. Martinus Polonus; *Hic,* VT ASSERITVR, *fœmina fuit*. Hunc citat S. Antoninus 2. p. hiſt. tit. 16. & addit. *Verè valdè mirandum, & cum populo clamandum, ô altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius,* SI VERVM FVIT, quod vulgo dicitur, vt iſte refert, &c. *Vincentius tamen*

in ſpeculo, & Io. de Col. nihil de hoc referunt. Faſciculus temporum, *Ioannes Anglicus natione Moguntinus circa hæc tempora* DICITVR *fuiſſe*. Nauclerus Generatione 29. *Hæc tacentur in auctoribus* CERTIS. Platina cùm citatũ ſuprà Martinũ Polonũ cultu elegantiore veſtiſſet, narrationiq; ſuæ vberioré ornatiorem intertexiſſet, hiſce tamẽ verbis concludit: *Hæc quæ dixi*, VVLGO FERVNTVR: INCERTIS *tamẽ &* OBSCVRIS AVCTORIBVS. Sabellicus li. I. Enn. 9. *Platina parum ſyncera ſide putat hæc, quæ de Ioanne Pontifice traduntur, ad poſteros prodita, quoniam ſcriptorum* AVCTORITATE LABORENT. Raphael *Volatteranus* lib. 22. Antrop. DICVNT. Ioannes Auentinus lib. 4. FABVLA. Ioannes Carion: *Hunc Moguntiæ natum, & fœminam fuiſſe*, FERVNT. Ecce, ne ex ijs quidem, qui tanto interuallo, poſt tot ariſtas, de hac fęmina quidquam ſcripſerunt, vnus eſt, qui cordatè ac ſimpliciter hiſtoriam affirmet, veramque aſtruat: ſed vel alium eius narratorem citant omnes aliquem, vel ſolùm famam ac vulgus. At ſanè.

Fallitur, & fallit, vulgi qui pendet ab ore.

XXXIX. Rumor autem & fama eſſe tum primò cœpit, cùm grauia, in Eccleſia DEI, ſchiſmata inter Germanicos præſertim aliquot Imperatores, & Pontifices extitiſſent. Tum enim licentiùs in Pontificem ficta & falſa, fanda, & infanda vulgo, vt in id genus fieri ſolet factionibus, iactata, cùm & aliquod inaniſſimis alioqui ſermunculis fundamentum

eſſe

eſſe videretur in Eunuchis, qui Conſtantinopolitanam Cathedram aſcendiſſent,& in Romano quodam Pontifice, quem dementarant, pæneque gubernabant mulieres.

XXXX. Vidimus præterea non ſemel aut bis ſuprà, quoties & quantis in periſtaſibus inter ſe eſſent ijdem diſcordes. Veritatis inſigne ſymbolum, concordia.

XXXXI. Vniuersè iam monſtraui, quam ex eorum, qui de fœmina iſta locuti ſunt, teſtimonio firmi certique nihil habeatur: nunc ſingillatim de ſingulis illis addam aliquid, quorum audita, vel per ſe ſpectata ponderis aliquantum habere videntur nomina. Omnium facilè *princeps* eſt *Marianus Scotus*. At præterquam quod non aſſerit, ſed *aſſeri* tantùm *ait*, ſciendum de tota iſta narratione, in quibuſdam manuſcriptis exemplaribus nihil omnino extare, vti teſtatur qui Coloniæ Crantzij Metropolin edidit anno CIↃIↃLXXIV. & alij. idque videtur ex mendis, quæ in tempore commiſit poſtea, qui infarſit; colligi. *Alter* eſt *Sigebertus*, cui ſanè quàm clariſſimè hoc apparet inſertum ac inculcatum. Nã in ipſo Frãcofurti edito anno CIↃIↃLXVI. ſic in ipſo textu legitur: *Fama eſt* HVNC *Ioannem*. At verò de eo nihil ante dictum erat, ne nomen quidem eius poſitum. Quomodo igitur dicit, HVNC? In manu verò ſcriptis idipſum in margine tantum, & quidem aliena manu, alio attramento, recentioribus characteribus ſcriptum cernitur. Et, narratiun-

culâ iſtâ ſublatâ, cohæret textus optimè. cumque Sigebertum ipſum ſua in Chronica tranſ ſcripſerit Guilhelmus de Nangiaco, Papiſſa tamen iſta in calamum nunquam venit. Et teſtatur Molanus, ſe in ipſo Gemblacenſi, cœnobio, vbi ſcripſit Sigebertus; antiquiſſimum manuſcriptum, quod illius autographum exiſtimatur, vidiſſe, in quo de hac eadem cauſa nihil prorſus. Faciunt ſanè, vt *audacia* non ſit, quod abſque ratione vlla dicit Iunius, ſed prudentia potius, negare, ab hiſce auctoribus, fabulæ huius quidpiam narratum. *Tertius* eſt ſæpè hactenus nominatus *Martinus Polonus*, qui homo fuit, vt apparet, ſimplex, nõ magna in veris aut falſis dijudicandis acritate, rumoribus nimium credulus, prout pluribus probat in Platinam Onuphrius. Atque hic rectè à quibuſdam primus ſtatuitur, quẽ de fabula iſta ſcripſiſſe conſtet. Nam de duobus ante ipſum alijs, iam dictum, nihil quicquam proditum videri. Cùm autem peruenerit ille ſcribendo ad annum Domini CIↃCCLXXVIII. conſtat pluſquam quadringentos annos ab anno, quo illud in terris portentum extitiſſe dicitur, effluxiſſe abſque vlla de illo ſcriptione, aut memoratione. *Alij*, qui deinceps ſecuti ſunt omnes, ex hoc fonte vel è turbidis ab eo manãtibus riuulis hauſerunt: & quidem cum ea ferè modificatione ac veluti præfatione, de qua dictum ſuprà. Multi etiam planè proletarij ſunt, quos Anonymus vndique conſarcinauit. Sed omnium ſcilicet grauiſ-

grauiſſimus veriſſimuſque teſtis, qui è temporum floribus ab Anonymo citatur, *Diabolus*, cùm neſcio cui, quando, aut vbi dixit:

Papa pater Patrum Papiſſæ pandito partum:
Et tibi tunc edam, de corpore quando recedam.

XXXXII. E Græcis verò ſcriptoribus priſcis quemadmodum de Latinis dictum, ne vnus quidem teſtis citatur: ſed quod mirabilius eſt, è recentioribus, qui bene multi ſunt, & in Latinos æquo plus maledici ſunt, nec vnus etiam aliquis citari poteſt. Scio à quibuſdam, & ab Anonymo etiam ac Iunio citatum Laonicum Chalcocondylam lib. 6. de rebus Turcicis, qui recentiſſimè poſt occupatam à Barbaris Conſtantinopolin anno Domini CIↃCCCCLX. vixit. At veritatis ædes aureæ totæ ſunt. conſulgent vndique. Fabulam hanc ne iſte quidem Græcus vnus & nouiſſimus hiſtoria ſua dignatus eſt: ſed impoſturam lectoribus fecit hæreticus Interpres Clauſerus, qui Latinè narrauit, quæ in Græco non ſunt, prout præclarè technam detexit ſumma dignitate ac doctrina vir D. Florimũdus loco poſtea indicando.

XXXXIII. Iam verò antiquitatis paulò ſciẽtioribus ignotum nullis, ex eo tempore, quo ab Eccleſia Romana ſeipſos prætriſti ſchiſmate ſeiunxerunt & abſcecuerunt Græci, quanto in eam odio arſerint, quantas lites ac tragœdias excitarint, quot & quàm varias in illam calumnias, contumeliaſque intorſerint. Quod ſi Romanæ ſedi meretricia iſta

vnquam inſediſſet labes, quanta eam libentia excepiſſent? quanta verborum acerbitate idẽtidem obiectaſſent? Prorſus vt noſtri Nouatores. Sed ne obliq; quidem eorum vllus id fecit vnquam.

XXXXIV. Et profectò maxima, pæneque iuſtiſſima maledicto, probroque iſto Romanam Eccleſiam vexandi data ijs fuit non ſemel occaſio, cum nimirum ſimile quiddam in præcipua nobiliſſimaque ipſorum Eccleſia Conſtantinopolitana crimen, non falsò, ſed verè accuſarunt Romani. Nam contra Niceni
Can. 1. Concilij decreta in Metropolitano Eccleſiæ huius throno collocarunt aliquando Eunuchos Ignatium, Photium & Polyeuctum. Id à Romanis Pontificibus vehementer improbatum, obiurgatum, eccleſiaſticaq; pœna concaſtigatum. Si Romani ergo ſuo in Apoſtolico ſolio fœminam, & quidem ſcortum aliquando conſtituiſſent, quid non obſecro iratiſſimi, procaciſſimique illis regeſſiſſent Greci? An non ſtomachoſiſſimè, vehementiſſimeque dixiſſent σὺ κατηγορȣμενος κατηγορεῖς? *Qui alium doces, teipſum non doces?* Quid nobis,
Rom. 2. Romane, ſemiuiros obijcis & Eunuchos, cum in Petri ſede tu mulierem ac meretricem collocaris? An non multo magis præſtat meretrici Eunuchus, quàm Eunucho vir?

Claud. in Eutrop. *Heu cæli, terræq; pudor! Mitrata per vrbem*
Oſtentatur anus, titulumq; effœminat anni.

XLV. Quin & ipſi Romani, fuiſſentne adeo ſapientiæ, pudoriſque omnis immemores,

vt

vt quam in ſe culpam hærere ſcirent, eamq́; publicã,& in editiſſimo veluti orbius totius pegmate admiſſam,hanc, vel hac potius multo minorem, & veniabiliorem in Eccleſia Græca reprehenderent,atque damnarent? & quidem eodem ipſo pænè temporis articulo, quo Romæ macula illa ſuſcepta, quo recentiſſima illius memoria omniũ adhuc animos exulceraſſet? Nã Romanũ illud ſcandalũ aſcribitur vt ſupra viſum,à pluribus anno 855.& ſecuto anno 858.Eunuchus Photius à Barda, cuius antea iterum fuit mentio,in Conſtantinopolitanam ſublatus eſt Cathedram. ſtatimq́ue cum factum intellexit,qui tum Romanus erat Pontifex,Nicolaus primus, vir ſiue ſanctitatem ſiue doctrinam, animiq́; magnitudinem ſpectemus,illo & nomine & honore digniſſimus;execratus eſt. & poſtea rurſus Leo IX. cuius hæc ad Conſtantinopolitanum Patriarcham Michaelem, Leonemq́ue Acridanum, qui Eccleſiæ Romanæ dignitatem conuicijs plurimis concidebant,verba ſunt epiſt.1. c.23. *Abſit, vt velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ cõtigiſſe, vt Eunuchos contra primum ſancti Nicæni Concilij capitulum paſſim promouendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorum ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileq́; facinus, etſi enormitas ipſius vel horror,fraternaq́; beneuolentia non permittit nos credere, conſiderata tamen iniuria veſtra erga ſanctorum cenſuram Canonum,quia Eunuchos, & aliqua ex parte corporis*

Omnia ceſſerunt, Eunucho præſule, monſtra.

imminutos non ſolum ad Clericatum, ſed Pontificatum etiam indifferenter ac ſolenniter adhuc promouetis fieri potuiſſe penſamus. At quia Pontifex iſte, cui vitæ ſanctitas, morumque innocentia & benignitas gloriam peperit maximam Caluinianorum parentem Berengariũ in Vercellenſi olim Concilio damnauit; ei Caluinianus iraſcitur Iunius: eumque, iſta Græcis dicendo, impudenter feciſſe ait, *ἵνα βαλὼν πρότερος τόδε κῦδος ἄρηται, vt prior occuparet, tanquam gnauus pugil, quod vulgò dici ſolet.* Sed impudentiſſimè facit ipſe Iunius, qui calumniæ ſuæ argumentum nullum proferre cum poſſit, impudentiæ tamen, ipſe impudentiſſimus, pudentiſſimum ſanctiſſimumque illum accuſat. Credo. ἵνα βαλὼν πρότερος. Ad rem tamen ipſam, quod reſpondeat, nihil prorſus habet.

XLVI. Conſideratio autem Eunuchi illius Photij non tam poſitum iam argumentum auget, quàm nouum dat. Fuit ille, vt ipſius libri, & alij de ipſo ſcriptores teſtantur, alioqui doctrina facundiaque inſigni armatus, in Romanos verò iracundia odioque tam acerbo imbutus, vt ab eo ad noſtra vſque tempora, maximo cum animarum detrimento, Gręcum ſchiſma perſeueret, triſtiſſimumque Turcarum iugum miſeris Græcorum ceruicibus inuexerit. Hic igitur, qui tam multa, tanta orationis acerbitate, tam procaciter contra Romanos ſcripſit, quomodo, ſi fabulę huius minima tum vſquam ſuſpicio fuiſſet,

do

de ea penitus tacuiſſet? Quomodo, qui alia tã multa futilia & falſa petulantiſſimè audaciſſimeq; effutierat, hoc, quod maximũ & probroſiſſimũ, quod reuera geſtũ, quod publicum, quod recentiſſimũ, ne verbulo quidem attigiſſet vnquam? Quomodo eunuchiſmum ſuum meretricio illi propudio paraſãgis, vt aiunt, non prætuliſſet quam plurimis?

XLVII. Pertinet eodẽ eius conſideratio, qui Conſtantinopolitanũ tũc tenebat imperium Michaelis tertij. cuius impuriſſimæ libidines, flagitioſiſſimi mores, ſceleratiſſima impietas à Græcis proſcinditur auctoribus Zonara, Cedreno & alijs. Quid iſte, à Romano Pontifice tam grauiter monitus & increpitus, quid inquã non reſpondiſſet? Quid Eunuchum Patriarcham ſuum reſpondere non iuſſiſſet?

XLVIII. Bardas verò, qui illius vt imperij ac potentię, ſic & ſcelerum conſors, inſontem repudiarat vxorem, nouaſque ſua cum cognata ſceleratas nuptias inierat, qui eam ob rem à ſanctiſſimo Conſtantinopoleos Patriarcha Ignatio grauiter admonitus, Eccleſiaque prohibitus, vehementiſſimè ſtomachabatur, qui hunc ipſum ideo iræ furoſque plenus ſuo è throno deturbarat, & in eius locum Eunuchum Photium extulerat, qui Pontificem Romanum pro deturbato Ignatio priſtinam in ſedem reſtituendo adlaborare videbat, ægerrimeque ferebat; ſi Romanæ ſedi tantum inhæſiſſet dedecus, quas non turbas dediſſet? Quæ in illam amẽtata verborum minarumq;

tela

cretum illud, quando factum fuiſſet? Num an tequam nouus delectus eſſet Pontifex? Num antequam cadauer illud terra obrutum? Aliæ tum curæ fuiſſent, alia negotia. Poſt noui verò Pontificis electionem, teterrimique cadaueris humationem ſerum nimis fuiſſet ſilentium, cum tota iam Italia percrebuiſſet facilè facinus. Accedit, quod adeo noluerint Romani ſuppreſſam, ſepultamque rei huius memoriam, vt ad eius perpetuitatem cathedras, imagines, & ſacella noua conſtituiſſe à fabulatoribus narrentur Sed de his poſtea.

XXXVI. Poſt falſum falſi huius portenti obitum, ſecuta eſt tota ſolidorum annorum centuria, ab anno ſcilicet IↃCCCLVI. vel proximo, vſque ad IↃCCCCLVI. vel proximum. & in hiſce varij rurſum, qui de Pontificibus ſcriberent, fuere. Quis omnium Pontificiæ vllius fœminæ meminit? Quis vel vnica ſyllaba prodigiale hoc ſubindicat? An Iunianæ illius auctoritatis auctoritas & pondus ad huc vigebat? An perpetuo adhuc ſilentio ficti memoria Pontificis obruenda erat? Dicere non poteſt Iunius, qui ſtatim, poſt huius mortem, memorando facto ſtatuam à S. P. Q. R. ſtatutam vult.

XXXVII. Secuta eſt alia ſolidorum item annorum centuria, ab anno nimirum IↃCCCCLVI. vel proximo, vſque ad CIↃLVI. vel proximum Et omnes iterum ſilent hiſtorici, Chronologi, & Nomenclatores. Ne vnus quidem, qui intra illud temporis, vel vnam,

dè

de hoc voculam aut apicem in chartas coniecerit, proferri poteſt. Nam poſt annum illũ CIↃLVI. ſcribere primum cœpit Marianus Scotus, de quo poſtea; cùm vt ſupra dictum eſt, eo anno è patria exierit.

XXXVIII. Poſt tot demum annos, tam elingues & mutos, cœpiſſe dicuntur aliqui hoc ipſum litteris tradere, vt dictus iam Marianus. de quo antequam dicam propriè, notatione dignum eſt, tam eum, quàm poſteriores alios omnes, qui, ad exortam vſque Nouatorum noſtrorum impudentiam, factum hoc memorarunt; omnes inquam ita memoraſſe, vt non aſſeuerarent verum, non certò, neque ſimpliciter, eove quo alia memorant, modo narrarent, ſed cum cautione, qua rem potius incertam, cuius non penes ſe, ſed penes rumorem quendam, & alios quoſcunque fidem eſſe vellent. Nam in manuſcripto Mariani Scoti codice, quem mihi D. Ioan. Latomus Francofurti monſtrauit, quemque in edito corrigendo ipſe ſequutus eſt; ita habetur: *Huic Leoni ſucceßit, qui fuit mulier*, VT ASSERITVR. in Edito; FAMA EST, *hũc Ioannẽ fœminã fuiſſe*. Martinus Polonus; *Hic*, VT ASSERITVR, *fœmina fuit*. Hunc citat S. Antoninus 2. p. hiſt. tit. 16. & addit. *Verè valdè mirandum, & cum populo clamandum, ô altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius*, SI VERVM FVIT, quod vulgo dicitur, vt iſte refert, &c. *Vincentius tamen*

in ſpeculo, & Io. de Col. nihil de hoc referunt. Faſciculus temporum, *Ioannes Anglicus natione Moguntinus circa hæc tempora* DICITVR *fuiſſe.* Nauclerus Generatione 29. *Hæc tacentur in auctoribus* CERTIS. Platina cùm citatũ ſuprà Martinũ Polonũ cultu elegantiore veſtijſſet, narrationiq; ſuæ vberiorẽ ornatiorem intertexiſſet, hiſce tamẽ verbis concludit: *Hæc quæ dixi*, VVLGO FERVNTVR: INCERTIS *tamẽ &* OBSCVRIS AVCTORIBVS. Sabellicus li. 1. Enn. 9. *Platina parum ſyncera fide putat hæc, quæ de Ioanne Pontifice traduntur, ad poſteros prodita, quoniam ſcriptorum* AVCTORITATE LABORENT. Raphael *Volatteranus* lib. 22. Antrop. DICVNT. Ioannes Auentinus lib. 4. FABVLA. Ioannes Carion: *Hunc Moguntiæ natum, & fœminam fuiſſe,* FERVNT. Ecce, ne ex ijs quidem, qui tanto interuallo, poſt tot ariſtas, de hac fęmina quidquam ſcripſerunt, vnus eſt, qui cordatè ac ſimpliciter hiſtoriam affirmet, veramque aſtruat: ſed vel alium eius narratorem citant omnes aliquem, vel ſolùm famam ac vulgus. At ſanè.

Fallitur, & fallit, vulgi qui pendet ab ore.

XXXIX. Rumor autem & fama eſſe tum primò cœpit, cùm grauia, in Eccleſia DEI, ſchiſmata inter Germanicos præſertim aliquot Imperatores, & Pontifices extitiſſent. Tum enim licentiùs in Pontificem ficta & falſa, fanda, & infanda vulgo, vt in id genus fieri ſolet factionibus, iactata, cùm & aliquod inaniſſimis alioqui ſermunculis fundamentum

eſſe

eſſe videretur in Eunuchis, qui Conſtantino politanam Cathedram aſcendiſſent, & in Romano quodam Pontifice, quem dementarant, pæneque gubernabant mulieres.

XXXX. Vidimus præterea non ſemel aut bis ſuprà, quoties & quantis in periſtaſibus inter ſe eſſent ijdem diſcordes. Veritatis inſigne ſymbolum, concordia.

XXXXI. Vniuersè iam monſtraui, quam ex eorum, qui de fœmina iſta locuti ſunt, teſtimonio firmi certique nihil habeatur: nunc ſingillatim de ſingulis illis addam aliquid, quorum audita, vel per ſe ſpectata ponderis aliquantum habere videntur nomina. Omnium facilè *princeps* eſt *Marianus Scotus*. At præterquam quod non aſſerit, ſed *aſſeri* tantùm *ait*, ſciendum de tota iſta narratione, in quibuſdam manuſcriptis exemplaribus nihil omnino extare, vti teſtatur qui Coloniæ Crantzij Metropolin edidit anno CIↃIↃLXXIV. & alij. idque videtur ex mendis, quæ in tempore commiſit poſtea, qui infarſit; colligi. *Alter* eſt *Sigebertus*, cui ſanè quàm clariſſimè hoc apparet inſertum ac inculcatum. Nã in ipſo Frãcofurti edito anno CIↃIↃLXVI. ſic in ipſo textu legitur: *Fama eſt* HVNC *Ioannem*. At verò de eo nihil ante dictum erat, ne nomen quidem eius poſitum. Quomodo igitur dicit, HVNC? In manu verò ſcriptis idipſum in margine tantum, & quidem aliena manu, alio attramento, recentioribus characteribus ſcriptum cernitur. Et, narratiun-

Digitized by Google

culâ iſtâ ſublatâ, cohæret textus optimè. cumque Sigebertum ipſum ſua in Chronica tranſſcripſerit Guilhelmus de Nangiaco, Papiſſa tamen iſta in calamum nunquam venit. Et teſtatur Molanus, ſe in ipſo Gemblacenſi, cœnobio, vbi ſcripſit Sigebertus, antiquiſſimum manuſcriptum, quod illius autographum exiſtimatur, vidiſſe, in quo de hac eadem cauſa nihil prorſus. Faciunt ſanè, vt *audacia* non ſit, quod abſque ratione vlla dicit Iunius, ſed prudentia potius, negare, ab hiſce auctoribus, fabulæ huius quidpiam narratum. *Tertius* eſt ſæpè hactenus nominatus *Martinus Polonus*, qui homo fuit, vt apparet, ſimplex, nō magna in veris aut falſis dijudicandis acritate, rumoribus nimium credulus, prout pluribus probat in Platinam Onuphrius. Atque hic rectè à quibuſdam primus ſtatuitur, quē de fabula iſta ſcripſiſſe conſtet. Nam de duobus ante ipſum alijs, iam dictum, nihil quicquam proditum videri. Cùm autem peruenerit ille ſcribendo ad annum Domini CIↃCC-LXXVIII. conſtat pluſquam quadringentos annos ab anno, quo illud in terris portentum extitiſſe dicitur, effluxiſſe abſque vlla de illo ſcriptione, aut memoratione. *Alij*, qui deinceps ſecuti ſunt omnes, ex hoc fonte vel è turbidis ab eo manātibus riuulis hauſerunt: & quidem cum ea ferè modificatione ac veluti præfatione, de qua dictum ſuprà. Multi etiam planè proletarij ſunt, quos Anonymus vndique conſarcinauit. Sed omnium ſcilicet grauiſ-

grauiſſimus veriſſimuſque teſtis, qui è temporum floribus ab Anonymo citatur, *Diabolus*, cùm neſcio cui, quando, aut vbi dixit:

Papæ pater Patrum Papiſſæ pandito partum:
Et tibi tunc edam, de corpore quando recedam.

XXXXII. E Græcis verò ſcriptoribus priſcis quemadmodum de Latinis dictum, ne vnus quidem teſtis citatur: ſed quod mirabilius eſt, è recentioribus, qui bene multi famẽ, & in Latinos æquo plus maledici ſunt, nec vnus etiam aliquis citari poteſt. Scio à quibuſdam, & ab Anonymo etiam ac Iunio citatum Laonicum Chalcocondylam lib. 6. de rebus Turcicis, qui recentiſſimè poſt occupatam à Barbaris Conſtantinopolin anno Domini CIↃCCCCLX. vixit. At veritatis ædes aureæ totæ ſunt. confulgent vndique. Fabulam hanc ne iſte quidem Græcus vnus & nouiſſimus hiſtoria ſua dignatus eſt: ſed impoſturam lectoribus fecit hæreticus Interpres Clauſerus, qui Latinè narrauit, quæ in Græco non ſunt, prout præclarè technam detexit ſumma dignitate ac doctrina vir D. Florimũdus loco poſtea indicando.

XXXXIII. Iam verò antiquitatis paulò ſciẽtioribus ignotum nullis, ex eo tempore, quo ab Eccleſia Romana ſeipſos prætriſti ſchiſmate ſeiunxerunt & abſcecuerunt Græci, quanto in eam odio arſerint, quantas lites ac tragœdias excitarint, quot & quàm varias in illam calumnias, contumeliaſque intorſerint. Quod ſi Romanæ ſedi meretricia iſta

vnquam inſediſſet labes, quanta eam libentia excepiſſent? quanta verborum acerbitate idẽtidem obiectaſſent? Prorſus vt noſtri Nouatores. Sed ne obliq; quidem eorum vllus id fecit vnquam.

XXXXIV. Et profectò maxima, pæneque iuſtiſſima maledicto, probroque iſto Romanam Eccleſiam vexandi data ijs fuit non ſemel occaſio, cum nimirum ſimile quiddam in præcipua nobiliſſimaque ipſorum Eccleſia Conſtantinopolitana crimen, non falsò, ſed verè accuſarunt Romani. Nam contra Niceni

Can. 1. Concilij decreta in Metropolitano Eccleſiæ huius throno collocarunt aliquando Eunuchos Ignatium, Photium & Polyeuctum. Id à Romanis Pontificibus vehementer improbatum, obiurgatum, eccleſiaſticaq; pœna concaſtigatum. Si Romani ergo ſuo in Apoſtolico ſolio fœminam, & quidem ſcortum aliquando conſtituiſſent, quid non obſecro iratiſſimi procaciſſimique illis regeſſiſſent Græci? An non ſtomachoſiſſimè, vehementiſſimeque dixiſſent σὺ κατηγορούμενος κατηγορεῖς? *Qui alium doces, teipſum non doces?* Quid nobis,

Rom. 2. Romane, ſemiuiros obijcis & Eunuchos, cum in Petri ſede tu mulierem ac meretricem collocaris? An non multo magis præſtat meretrici Eunuchus, quàm Eunucho vir?

Claud. in Eutrop. *Heu cœli, terræq; pudor! Mitrata per vrbem*
Oſtentatur anus, titulumq; effœminat anni.

XLV. Quin & ipſi Romani, fuiſſentne adeo ſapientiæ, pudoriſque omnis immemores,

vt

vt quam in ſe culpam hærere ſcirent, eamq́; publicã,& in editiſſimo veluti orbius totius pegmate admiſſam,hanc, vel hac potius multo minorem, & veniabiliorem in Eccleſia Græca reprehenderent,atque damnarent? & quidem eodem ipſo pænè temporis articulo, quo Romæ macula illa ſuſcepta, quo recentiſſima illius memoria omniũ adhuc animos exulceraſſet? Nã Romanũ illud ſcandalũ aſcribitur vt ſupra viſum,à pluribus anno 855.& ſecuto anno 858.Eunuchus Photius à Barda, cuius antea iterum fuit mentio,in Conſtantinopolitanam ſublatus eſt Cathedram. ſtatimque cum factum intellexit,qui tum Romanus erat Pontifex,Nicolaus primus, vir ſiue ſanctitatem ſiue doctrinam, animiq́; magnitudinem ſpectemus,illo & nomine & honore digniſſimus;execratus eſt. & poſtea rurſus Leo IX. cuius hæc ad Conſtantinopolitanum Patriarcham Michaelem, Leonemque Acridanum, qui Eccleſiæ Romanæ dignitatem conuicijs plurimis concidebant,verba ſunt epiſt.1. c.23. *Abſit, vt velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ cõtigiſſe, vt Eunuchos contra primum ſancti Nicæni Concilij capitulum paßim promouendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorum ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileq́; facinus, etſi enormitas ipſius vel horror, fraternaq́; beneuolentia non permittit nos credere, conſiderata tamen incuria veſtra erga ſanctorum cenſuram Canonum, quia Eunuchos, & aliqua ex parte corporis*

Omnia ceſſerunt, Eunucho præſule, monſtra.

 immi-

imminutos non ſolum ad Clericatum, ſed Pontificatum etiam indifferenter ac ſolenniter adhuc promouetis fieri potuiſſe penſamus. At quia Pontifex iſte, cui vitæ ſanctitas, morumque innocentia & benignitas gloriam peperit maximam Caluinianorum parentem Berengariũ in Vercellenſi olim Concilio damnauit; ei Caluinianus iraſcitur Iunius: eumque, iſta Græcis dicendo, impudenter feciſſe ait, ἵνα βαλὼν πρότερος τόδε κῦδος ἄρηται, *vt prior occuparet, tanquam gnauus pugil, quod vulgò dici ſolet.* Sed impudentiſſimè facit ipſe Iunius, qui calumniæ ſuæ argumentum nullum proferre cum poſiit, impudentiæ tamen, ipſe impudentiſſimus, pudentiſſimum ſanctiſſimumque illum accuſat. Credo. ἵνα βαλὼν πρότερος. Ad rem tamen ipſam, quod reſpondeat, nihil prorſus habet.

XLVI. Conſideratio autem Eunuchi illius Photij non tam poſitum iam argumentum auget, quàm nouum dat. Fuit ille, vt ipſius libri, & alij de ipſo ſcriptores teſtantur, alioqui doctrina facundiaque inſigni armatus, in Romanos verò iracundia odioque tam acerbo imbutus, vt ab eo ad noſtra vſque tempora, maximo cum animarum detrimento, Grę cum ſchiſma perſeueret, triſtiſſimumque Turcarum iugum miſeris Græcorum ceruicibus inuexerit. Hic igitur, qui tam multa, tanta orationis acerbitate, tam procaciter contra Romanos ſcripſit, quomodo, ſi fabulę huius minima tum vſquam ſuſpicio fuiſſet,

de ea penitus tacuiſſet? Quomodo, qui alia tã multa futilia & falſa petulantiſſimè audaciſſimeq; effutierat, hoc, quod maximũ & probroſiſſimũ, quod reuera geſtũ, quod publicum, quod recentiſſimũ, ne verbulo quidem attigiſſet vnquam? Quomodo eunuchiſmum ſuum meretricio illi propudio paraſangis, vt aiunt, non prætuliſſet quam plurimis?

XLVII. Pertinet eodẽ eius conſideratio, qui Conſtantinopolitanũ tũc tenebat imperium Michaelis tertij. cuius impuriſſimæ libidines, flagitioſiſſimi mores, ſceleratiſſima impietas à Græcis proſcinditur auctoribus Zonara, Cedreno & alijs. Quid iſte, à Romano Pontifice tam grauiter monitus & increpitus, quid inquã non reſpondiſſet? Quid Eunuchum Patriarcham ſuum reſpondere non iuſſiſſet?

XLVIII. Bardas verò, qui illius vt imperij ac potentię, ſic & ſcelerum conſors, inſontem repudiarat vxorem, nouaſque ſua cum cognata ſceleratas nuptias inierat, qui eam ob rem à ſanctiſſimo Conſtantinopoleos Patriarcha Ignatio grauiter admonitus, Eccleſiaque prohibitus, vehementiſſimè ſtomachabatur, qui hunc ipſum ideo iræ furoſque plenus ſuo è throno deturbarat, & in eius locum Eunuchum Photium extulerat, qui Pontificem Romanum pro deturbato Ignatio priſtinam in ſedem reſtituendo adlaborare videbat, ægerrimeque ferebat; ſi Romanæ ſedi tantum inhæſiſſet dedecus, quas non turbas dediſſet? Quæ in illam amẽtata verborum minarumq;

tela

tela non vibraſſet? Ac ſanè tanti Principes ac Imperatores dedecus ignorare illud nunquã potuiſſent, ſi quidem vel per vmbram extitiſſet. Adulatores potentibus, indices, & corycæi ſemper multi.

XLIX. Venerunt etiam ab eodem Imperatore illo Michaele Legati Græci Romam ad ſuprà laudatum Nicolaum I. Pontificem anno Domini IↃCCCLIX. quorum hæc, vt oculatus teſtis notat Anaſtaſius, nomina, Methodius Metropolitanus, Samuel Epiſcopus, Zacharias, Theophilus, Arſaprotoſpatharius, & poſtea Leo Secretarius. Rurſumque anno IↃCCCLXV. alij Legati, quorum Princeps Michael protoſpatharius, & hic quidem miſſus ab iratiſſimo Imperatore, cum longiſſimis, litigioſiſſimis, contumelioſiſſimiſque litteris. Hi ergo Legati, Romæ cùm hærerent, accuratiſſimè obſeruarent omnia, captarent etiam quæcunque Conſtantinopolin referre poſſent noua, & Imperatori grata, nullumne ab vllo Romano, ab loquaculo vllo, ab menſarum aſſecla gratiam ac præmiolum quæritante vllo ſermunculum audire vnquam potuiſſent?

L. Miſſi etiam eodẽ illo anno IↃCCCLIX. ab Eunucho ipſo Photio patriarcha Romam ad eundem pontificem Legati Theophilus Amorij Epiſcopus, Samuel Chomarũ Epiſcopus, alijque duo homines aſtutiſſimi, Photioq; ipſi coniunctiſſimi & fidiſſimi. Non aureos hi mererentur montes, ſi de Romana

papiſſa

papiſſa nuncium illi Conſtantinopolin afferrent? An Romæ ipſi ſurdi, aut parum curioſi? An Romæ, ſi non è grauioribus; è vulgo tamẽ ciuium, aulicorum, ſeruulorum nullus omnino inuentus, qui quod ante tres aut quatuor annos ibidem accidiſſet, palamque ab omnibus ſpectatum eſſet, narrare ipſis aut voluerit aut potuerit? In vna quapiam paulò ampliore domo emiſſitij ſæpe oculi plurimi ſunt: rimæ itidem ſexcentæ, per quas & quæ intrò fiunt, ab alijs perſpiciantur, & à domeſticis foras efferantur. Quid in vrbe vna, & vrbe, quæ vt ait S. Hieronymus, *arx imperij Romani eſt, vrbium domina, clariſſimum terrarum omnium lumen*: &, vt Rutilius ac Iuriſconſultus; *communis patria*, vt apud Athenæum lib. 1. alius *mundi totius epitome* eſt? *In fine Com. ad Eph. & præfat. in Ezech. Alciat. l. 2 diſpunc. ca. 21.*

LI. Ab ipſo autem eodem Pontifice Nicolao, cùm alij alias Conſtantinopolin legati miſſi, tum verò potiſſimum duo, quorum inſignis extitit in Pontificem ipſum perfidia, in Dei Eccleſiam nequitia, Rodoaldus Portuenſis Epiſcopus, & Zacharias Anagnienſis. Vnde & poſtea pro meritis ſuis dammati, cenſi, & è Chriſtianorum cœtu eiecta fuerunt. Hi ergo dignam indignè pœnam ferentes, omnia, vt irati & nequam ſolent homines; circumſpectantes, quid, obſecro, non feciſſent? quid Græcis ipſis non dixiſſent? quid Romana de Cathedra non vulgaſſent, ſi qua eam labes inquinaſſet? Quàm certum ijs fuiſſet ad Græcos effugium? quàm paratus apud Imperatorem Mi-

Michaelem honos? quàm certum apud Eunuchum Photium cum dignitate ac applauſu hoſpitium?

LII. Nec deerant eodem etiam tempore in Occidente, qui commotiori ac infeſtiori in Romanum Pontificem eſſent animo, ij præſertim Epiſcopi, qui Lotharij Regis libidini obſecuti, vxorem ab eo legitimam Theutpergam repudiari, & impuram, quam deperibat, quaq; adoleſcētior abuſus erat, fœminā VValdradam duci approbarant. Cùm enim ab eodem Nicolao primo reprehenſi, Paſtoraliſq; Officij grauiſſimè admoniti eſſent, iras animo ingentes conceperant: ſed omnium maximè Archiepiſcopi duo Colonienſis & Treuirenſis, qui tanquam præcipui auctores facinoris Romam exciti, & Archiepiſcopali ſua dignitate mulctati erāt. Ille Guntharius, iſte Theutgaudus vocabatur. Adeo autem iſti exarſerāt, vt in Pontificem Nicolaum Imperatoris cōcitare animum omni arte conniterentur: ad Photium etiam illum Eunuchum litteras in eundem Pontificem calumniæ, biliſquè pleniſſimas mitterent. adeò, vt, cum in vlcere vnguis eſſe vellet Photius; in ſua ita encyclida ſcripſerit: *Ex partibus Italiæ ſynodica quædam epiſtola ad nos allata eſt. ſexcenta continens mala & delicta, quæ aduerſus proprium ipſorum Epiſcopum, illi qui Italiam incolunt, conqueruntur.* Obſecro te Lector. ſyncero hæc animo expende. Iudica ipſemet, an ſi ſacerdotium Romæ vſurpaſſet lupa vlla maximum, id illi tū

Ro-

Romano Pontifici non obiectaſſent, nõ Grę-cis ipſis patefeciſſent? Guntharius ſanè Colonienſis, cum regiæ illius pellicis & ſcorti frater eſſet, cum ad ſaniorem nullis neque monitis, neque cenſuris reuocari mentem potuerit, effudiſſet in Græcorum mundique totius aures libentiſſimè, quidquid Romanis infame, aduerſum, & acerbum ſcire potuiſſet. Ac ſanè ijdem Archiepiſcopi, cum in ſuá factionem, impijque repudij approbationem vicinum aut pellicere aut pertrahere Mogũtinum nequijſſent, an, ſi falſam ſceleroſamq; ſacerdotem illam noſtra vnquam effudiſſet Moguntia, ſilentio idipſum preſſiſſent? An ex ea veluti optima occaſione, Moguntinam, à quo ſe contemptos, improbatos, lęſosq; putabant, egregiè vlciſci, Moguntinamq; inſigniter collutulare ciuitatem non ſtuduiſſent? Cum verò in tanto irarum incendio, in tanta vindictæ pertinacia, in tanta nocendi opportunitate, re adhuc calente, nullam prorſus de Moguntina iſta ſobole, de Romano iſto puerperio voculam neque Gręci, neque Galli, neque Germani, quantumuis exacerbati & cõiurati miſerint, apparet ſanè apud omnes veritatis amantes clariſſimum, totam de Moguntina Papiſſa orationem longè eſſe fabuloſiſſimam. Dicebat Dinarchus: *Quæ nunquam fuit prægnans, qui parere potuit?* Ego autem ſimpliciter, *Quæ nunquam fuit.* *Truc.*

LIII. Nullius autem, quibus fabula hæc fidẽ ſibi adiungere nititur, momenti obiectiones quinq; ſunt.

Primam

Primam ita proponit Polonus. *Propterea quod Dominus Papa eandem viam,*(de quà ſuprà argumento 26.)*ſemper obliquat , creditur omnino à quibuſdam, quod ob deteſtationem facti hoc faciat.* Reſpondet Onuphrius: *Quòd Lateranū Papa illac non pergat, ea non eſt cauſa, ſed quia per medium amphitheatrum, cui via illa correſpōdet, ob loci anguſtiam, magna hominum & equorum manu comitatus tranſire nequit. ſiniſtra ad Coloſſeum deflectit, deinde rectà progreditur verſus SS. Petrum & Marcellinum, ne tot gyris obequitans ordinem confundat, reuertendo domum circum theatrum ad viam, quæ ſub ſanctis quatuor coronatis Lateranum ducit. Eadem ratio eſt, cùm reuertitur. Quam tamen rem à multis Pontificibus omnino neglectam ſcio.*

Altera obiectio. Sacellum, vbi peperit illa, in rei memoriam, erectum fuit. *Omnino fabuloſum,* inquit idem Onuphrius. In loco illo ſacellum quidem fuit, ſed non in illius rei memoriam. Te ambulante tonat, non ideo tamen tu illius tonitru cauſa.

Tertia obiectio. Statua ibidem fuit parientis pontificis. Et hoc fabuloſiſſimum. *Si ſtatua,* inquit Bellarminus, *huius Ioannis eſſet, mulierem cum infantulo recens nato repræſentaſſet. At imago illa neque fœminam referebat, neque infantem in ſinu gerebat, ſed puerum ſatis magnum, & annorum multorum. quaſi præcedentem famulum referebat. Quare conijciunt quidam, fuiſſe ſtatuam alicuius Ethnici ſacerdotis parati ad ſacrificandū, quem ſuus miniſter præcedebat.* Sed Iunius, *Sta-*

tuam

tuam illam memoria noſtra, inquit, *de loco tolli curauerunt oſores antiquæ veritatis.* Imo amatores. ſicuti & ſublatæ mendaces illę de S. Leone manum ſibi ob prauum carnis motum abſcindente, itemque de Sylueſtri II. funeſto interitu picturæ. Pictorum enim interdum coercenda licētia, prout etiam admonet Tridentinum Cōcilium. *Atqui ſublatio iſta*, inquit idem Iunius, *à vobis facta nobis eſt cōfeſſio, quòd ſtatua fuerit fœminæ.* Talis à vobis ipſis ficta confeſſio veſtris parum admodum mēdacijs patrocinatur, præſertim cum ſubiungas. *Et in quodam ſacello Ducum Florentiæ monumentum adhuc Romæ aſſeruari audio.* Si aſſeruatur, ex eo igitur cognoſci certò adhuc poteſt, *vir mulierve fuat.* Nobis vir eſt. Pergit ille: *A populo Romano, aut certè à ſenatu poſt aliquot annos, re (quam diſſimulabant ſtrenuè Eccleſiaſtici) examinata & comperta, ſtatuam fuiſſe poſitam eſt probabile; & puerum iam grandiorem, vt ſuperſtes erat, fuiſſe effictum in perpetuam rei memoriam.* Si examinata res à populo aut S.R. fuit, iam igitur aut Romæ dubia erat, aut à quibuſdam negabatur. At vtrumlibet fieri qui potuit, cum tam publica, tam omnium Romanorum ipſorum oculis teſtata fuiſſet? Quid inquirere, quid examinare opus fuiſſet? Sed rectè addit. *Eſt probabile.* Vnde verò? Quia ſcilicet ita dicis, quem pro arbitratu ac libidine comminiſci & commentari quodlibet, non tam probabile, quam certiſſimum eſt. Puerum

Seſſ. 25.

verò, vt ſuperſtes erat, fuiſſe effictū addit. Si puer adhuc aderat & ſuperſtabat, quid inquiſitione, quid examine, iterum dico, fuiſſet opus? *Et grandiorem* iſte ponit, quem, vt ſuprà vidimus, alij in ipſo extinctum partu vociferantur. Sed vide Iunij huius improbitatem. Si ſtatua illa tollitur, id ait *antiquæ veritatis odio* fieri: Si non tollitur; *idololatriæ vel incuriæ vitio. Si*, ait, *per tot ſæcula monimentum publicum idololatriæ Ethnicæ palàm ſiuiſſent exſtare ſenatus, populuſq; Romanus, aut ipſi Pontifices. Quod ſi eſt. ſic quoque Romani Pontifices impietatis, aut certè pietatis neglectæ damnabuntur ex tam diuturna diſſimulatione.* Quaſi non Romæ & alibi, prout etiam ſuprà in Moguntinis antiquitatibus notatum; multa Gentilium monimenta ſeruentur, idque potiùs, vt, ad CHRISTI IESV gloriam, idololatria iam deuicta, depulſaque monſtretur.

Quarta obiectio. Sede quadam perforata ex eo tempore pontificum ſextus exploratur. Diligenter ac verè reſpondet Bellarminus, monſtratque nullam illi fini, ſed alteri multò meliori ſedem fuiſſe, vt Pontifex admoneretur humanæ infirmitatis ac vilitatis. Ideo enim & canebatur è lib. 1. Regum cap. 2. *ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Sed nolo in hoc hærere. quia ipſemet agnoſcit. Iunius nihil hic firmamenti. *Iſta*, inquit, *ſedes, ſi qua fuit, penes auctores fides eſto.* Deinde tamen

tamen vt fabulæ ſeſtimonium adhuc aliquod ſit;de exploratorum illa ſede ita præter gregalium ſuorum omnium ſententiā loquitur: *Illam potius eſſe crediderim, quæ non in publico, ſed in conclaui electionum eſt.* Et poſtea. *ſi diuinare licet, hanc potius fuiſſe perforatam ſedem credide-rim.* Sed cur & vnde id credideris? vnde diuinaris? Num vbicunque in ſede aliqua ſedere Pontificem audieris, ibi ſtatim, an vir ſit explorari credes? cur non ex electionum conclaui in intimum Pontificis conclaue ſedem hanc tranſtulerit alius? *Sed valeant ſordes*, inquit idem Iunius. Omnino valeant. quia & ſordida priorum Nouatorum de ſede iſta mendacia ſunt, & ſordida in noua fabricanda Iunij temeritas. *Onup. li. de 7. Eccl. p. 115. & ſeq.*

Quinta obiectio. Auctores aliqui hoc referunt ſed tales & taliter, quales & qualiter no-aui ſuprà

LIV. E contrario autem plures iam Catholici copioſè ac valenter totam fabulæ huius molem penitus deiecerunt, Latinè quidē Onuphrius in Platinam, & Bellarminus lib. .de Rom. Pontif. c. 24. Reuerendiſſimus BARONIVS Annalium Tomo 10. Gallicè vir excellenti dignitate ac doctrina Dominus Florimundus de Raomound libro de vulgari fabula, Germanicè admodum clarè ac ſolidè, n concione de hac ipſa re, P. Georgius Scheer. quam concionem cum non ignotus mihi omo, in Lutherano errore ita pertinax, vt rbem, in qua honeſto loco, reque lauta erat,

 quàm

quàm illũ mutare maluerit;legiſſet, dixerit: *ſe alia quidem omnia Lutheranum eſſe : deinceps: tamen nunquam crediturum, fuiſſe Pontificem Romæ vllam fœminam.* Quam eãdem in hoc poſteriori mentem, & multo adhuc meliorem precor alijs, quibus fortè adhuc perſuaſum ſecus:& diſtichon,quod,annis abhinc pluribus,bellulis cum ſynecdochis,doctus fundebat vir,adiungo.

Roma viros Papas, Papiſſas Anglia molles,
Androgynæ comanẽs ſpurca Geneua colit.

Elizabetha enim(quam,me non ſemel audiente,*Thaidem* vocitabat nobilis,& doctrinę fama, librorumque plurium editione apud ſuos clarus Anglus,& hæreticus) ſe non Reginam ſolum ac virginem,ſed & Eccleſiæ Anglicanę *Caput* indigitabat.Beza verò,Geneuenſis etiam *Papa* in Mompelgardenſi Colloquio à Schmidelino ſalutatus eſt: homo, qui eas de ſeipſo nefandas, invulgatis libris, edidit libidines, quas cœleſti olim flamma in Sodomitis DEVS;nunc verò qui viua Dei ſimulachra ſunt,boni Magiſtratus gladio & igne, prout ipſe ante annos non valde multos,Norimbergæ conſpexi; vindicant.De ſuo enim Ganymede *Audeberto*, ſuaque Venere *Candida*, *Gen.19.*

Amplector,inquit,*ſic hunc & illam vt*

Abci-

Abcido enim propter ſpurcitiem cætera: neque iſta quidem iam attigiſſem, niſi calumniæ à Moguntia, & à tota DEI Eccleſia depellendæ coegiſſet diſputatio. Sanctiora deinceps tractanda.

In lib. Epigram. apud Rob. Steph. Pariſ. anno 1548.

EPIGRAMMA

IN PONTIFICII PVERPERII FABVLAM.

Ecquid erit cauſſæ recreent commenta quòd omnes
Hæreticos? quòd tam fabula ficta iuuet?
An quia ſunt Veneris ſub amœno ſidere creti,
Et referunt ortus mitia fata ſui?
At bellonæ, magis nuſquam deſæuit, & acer
Sanguineo nuſquam Mars magis enſe furit.
Oſsibus humanis albeſcere vidimus arua,
Poſtquam conflatus vomer in arma fuit.
An Phrygis Aeſopi præſtans imitantur acumen,
Mortales lepidis erudiuntq́; iocis?
At potius retro pietas ſublapſa refertur,
Occidit & ſanctæ relligionis honos.
An, velut Agrippam quondam feciſſe Quirinum
Fama refert, plebem ſeditione leuant?
Romuleis ergò populus cur patribus obſtat?
Et ſeruaturum ſe data iura negat?
An quia curarum molem, triſteſq; dolores
Crimen ob admiſſum, tollere fortè ſtudent?

Digitized by Google